
V
B J
C
19870

~~o K.~~

J



jam proximus ardet
Vcalegon. *Virgilius lib:2. Æneidos*

UCALEGON
GERMANIÆ, ITALIÆ
ET
POLONIÆ
HUNGARIA,
FLAMMA BELLI TURCICI
[redacted] **Ardens.** [redacted]
[redacted] Productus [redacted]
à

M. THOMA JOANNE
PESSINA de CZECHOROD,
Decano Lithomisliensi, &
Marchionatûs Moraviæ
Historiographo.

Editio secunda emendatior.

LITHOMISSLII,
Typis JOANNIS ARNOLTI.
Anno 1664.

VIRGIL: ÆNEID:
lib: 2.

- - - jam proximus ardet
Ucalegon..





Tunc tua res agitur (*ait ille*) paries dum proximus ardet.



Rdet ecce Hungaria, *paries vester*, Germania, Italia & Polonia, *proximus*, proximus *à vobis* Ucalegon: *ad cujus incendium, quod jam altè nimis depascens, ima quæq; & ferè ultima serpit, extinguendum, ni citò ac potenter accurreritis, actum est de illa: actum erit & de Moravia tua, ô Germania, prima adversùs barbaras gentes Marchia, quam flamma hujus mali jam magna satis attigit: actum & de nobilissima tui portione Austria, Styria & Carinthia: actum & de Clypeo tuo inclyto Bohemiæ Regno, ac Silesia; actum deniq; & de te ipsa. Si enim paries ille, qui hucusq; tibi pro antemurali fuit, corruat, si & Clypeus ille decidat, quid superest ultra, nisi ut tu quoq; ruas, decidas, & incendio pari consummaris?*

Neq; ô Italia à periculo tuta eris: devictâ enim Hungariâ, ac parte residuâ Croatiæ, nihil est, eritq; Turcis invium: Per Carnos & Forum Julij terrestribus ejus copijs facilis ad te patebit transitus. Similiter & Polonia quid tuti sperare potes, si Turca Transylvaniam totam sibi in Provinciam redigat? si Hungariâ superiore, si & Silesiâ potiatur?

Agite ergo universi, tam Germani bellicosissimi milites, quàm Itali & Poloni audacissima pectora, & vicino suo Ucalegoni, coadunatis viribus succurrite. Quod quàm necesse sit, ut fiat, & citò fiat, pro tenui mea rerum Politicarum scientia, in præsenti Discursu demonstrabo. Priùs tamen de Origine & progressu Turcarum, adusq; tempus præsens, aliquid dicere liceat, quò magis sequentia pateant universis.





PARS I.

De Origine gentis Turcarum, & progressu ejus.



Vrcæ, antiquis etiã, ut Plinio & Pomponio Melæ noti, Scythiæ sunt populi, de progenie Magog filij Japhet, filij Noë.

Prima eorum sedes erat ad latus Septentrionale montis Caucasi, qui velut in ramos brachiatus, continuis montium jugis, & interruptarum vallium angustijs, complectitur Iberiam, Albaniam, Colchidem & Chalybes, extensus ad Occidentem versùs Pontum Euxinum, & Mœotiden paludem, ad Orientem versùs mare Caspium: ubi verò ceu dehiscens populis sese aperit, portarum nomina ab adapertis, & quasi diductis expansisque vallium hiatibus sortitus ést: quæ alibi Sarmaticæ, alibi Armenicæ, alibi Caspiæ vocantur. Et

has Alexandrum Magnũ obſtruxiſſe Hiſtorici tradunt, abditis ad fores trabibus ferratis, ne ita facilè feris gentibus Septentrionis pateret in Aſiam tranſitus.

Hi itaq; populi, ſeu cœli clementioris deſiderio adducti, ſeu nimiâ multitudine gentis excreſcente coacti, tempore quo Conſtantinus Copronymus Græcis imperabat, Caſpias egreſſi portas, Albanos primùm, deinde Armenos invaſerunt, occupantes in eorum regionibus loca quædam opportuna, quorum commoditate alios quoq; vicinos excurſionibus non modicè vexaverunt, ita ut poſtremò & Perſis & Saracenis cœperint eſſe graves.

Demum imperante apud Germanos Ludovico II. & apud Græcos Baſilio Macedone, in ſubſidium vocati à Saracenis contra Perſas, unà cum Saracenis Perſas vicerunt, & occaſione illâ capti amœnitate & fertilitate ſoli, ad mare Caſpium versùs Auſtrum in terra Choraſenorum, quæ antiquitùs Sogdiana fuit, vel Hyrcania, ab Hyrcano mari, quod aliter Caſpium dicitur, ſic appellata, ibi conſederunt, ſubmittentes ſeſe Caliphæ Babylonio, Imperij Saracenici Monar-

Monarchæ, qui à Mahomete pſevdo-propheta originem duxit, Religionis pariter & Imperij Dominus, cujus etiam Religionem ſuſceperunt.

Quod factum Anno Chriſti 871. à morte Mahometis 240.

Ab eo tempore rem primò pecuariam in loco ubere & fertili exercuerunt: poſtmodum ubi inter Calipham & Suldanos ſeu Præfectos Provinciarum, ex dominandi cupiditate & æmulatione, exortæ fuerunt diſſenſiones graves, Turcæ provocati à Mahomete Suldano Perſidis & Mediæ, contra Calipham arma receperunt, & proſtrato exercitu Caliphæ, cùm ipſis idem Suldanus pacta ſtipendia ex integro ſolvere nollet, mox incitati hâc injuriâ arma in illum converterunt, victum è regno ejecerunt, atq; ita ipſimet Regnum Perſidis ac Mediæ in ſuam poteſtatem redegerunt. Quâ acceſſione uſq; adeo aucta eſt eorum potentia, & adhuc ſequentibus aſſiduis irruptionibus in tantum viribus crevit, ut æquo Marte cum Saracenis, aliſq; finitimis populis contendere de Imperij poſſeſſione cœperint: neq; enim contenti eâ acceſſione Regni Perſici, ſed ulteriùs

progreſſi bello continuo incubuerunt, ita fortiter, ut incredibili ſucceſſu, brevi tempore, majorem Aſiæ partem, intra Taurum montem & Pontum Euxinum ſibi ſubegerint, ubi & peculiare Regnum inchoârant.

Et tunc Principem illorum nomine Zador, coactus erat Calipha Babylonius creare Imperatorem Aſiæ : quod factum Anno Chriſti 1051.

Zadori ſucceſſit filius ejus Dogriſſa: hic expugnatâ Edeſsâ (quæ eſt in Hiſtoria Tobiæ Rages, nunc Orpha dicta) obtinuit Meſopotamiam, aliáque multa in Aſia minore Conſtantinopolitanis Imperatoribus ademit : quemadmodum & Caliphæ Babylonio Syriam. Dogriſſam ſecutus eſt filius Aſpaſales : hic Sedem habebat in Perſide, & per Suldanos tum Provincias cæteras regebat, tum finibus prolatis Regnum ampliabat : cœſus tamen à Romano Diogene Imperatore Græco, Alepum, Hierapolim, & aliquot Civitates in Syria amiſit.

Illo fatis functo ſucceſſit filius Melechas, cujus patruelis Solimannus adoleſcens ſtrenuus acceſſit ad Helleſpontum uſque, & Nicæam Bithyniæ urbem,

Syno-

Synodi Nicænæ memoriâ celebrem vi expugnavit, fecitq; ſedem belli contra Græcos, ac demum ſummo præſidio tutabatur, Sultani Turciæ nomine gaudens : quæ tamen Anno 1097. 5. Idus Junij, poſt viginti ſex dierum obſidionem, à Godefrido Bullionio, aliisque ejus ſocijs, qui ſeſe ſacræ militiæ & expeditioni in terram ſanctam dicârunt, vi effracta captaq; eſt. Melechas reliquit filios duos, quorum natu maximus Belchiarocus Patri ſucceſſit. Hic ſedem Regni habuit in Perſide, relictâ illâ parte Aſiæ, à Tarſo Ciliciæ ad Helleſpontum uſq; Sultano Solimanno.

Tenuerunt tunc Hieroſolymam Saraceni, quam paulò antè Turcis pulſis receperant, cùm Turcæ Saracenis ademptam poſſediſſent, annos octoginta octo. Noſtri igitur cum Godefrido Duce, poſtquàm repulſo exercitu Solimanni, multas Aſiæ Provincias, ut Bythiniam, Lycaoniam, Ciliciam, Syriam, Meſopotamiam, Comagenam, trium annorum ſpatio, partim cœſis, partim fugatis inde Turcis, perdomuiſſent, Antiochiámque recepiſſent, ultimò Hieroſolymam obſederunt, quam, die obſidionis trigeſimâ

octavâ Idibus Quintilibus Anni 1099. feliciter obtinuerunt, cûm penè desperatis rebus essent revocati ad novam aggressionem ostento, quod ex Monte Oliveti præfulgidi clypei agitatione, fecerat spem victoriæ.

Ibi Regni sede constitutâ, Godefridus, qui primus conscensis muris in Vrbem irruperat, omnibus consentientibus Rex Hierosolymorum est renunciatus: qui tamen aurea insignia regni accipere renuit, indignum se ducens aureo diademate in ea civitate, in qua Christus spineam Coronam gestavit. Itaq; & ipsi spinea, ad Domini sepulchrum in genua provoluto, imposita est.

Post hunc felicem progressum Christianorum in Oriente, secuta est inclinatio potentiæ Turcicæ & ruina; nam mortuo Belchiaroco, & fratre ejus Imperium occupante à Suldanis oppresso & interfecto, cùm Suldani inter se de novo Imperatore convenire non potuissent, sed unus quisque Provincias quas administrabat sibi asserebat, distractum est Regnum Turcicum : quâ occasione usi nostri, & vicini Armenij, Iberi atque Alani, Turcos Regno Asiæ expulerunt,

quo-

quorum pars aliqua mansit penes Suldanum Hyrcaniæ, alij verò aliorum Ducum auspicia & factiones sunt secuti.

His in Oriente per aliquot annos actis, cùm demum res Christianorum propter dissensiones Principum imminuerentur valdè, Turcæ resumpserunt vires: quorum operâ Saladinus (cujus antecessor Sarraco patriâ Hyrcanus, excusso Caliphâ Ægypti Regnum occupavit) Hierosolymam oppugnatione unius mensis, ac posteà deditione cepit, anno postquam à Godefrido occupata fuit, octuagesimo octavo. Brevi tamen iterum succubuêre, quando Tartari gens quoque Scythica, sub Duce Zingis Chano, ex Septentrione primò Persidem, deinde reliquas Asiæ Provincias involârunt tantis agminibus, ut locustarum instar omnia obruerint, atque compleverint: quod factum circa Annum 1210. Tunc ergo potentia Turcarum in Oriente denuò est attrita, qui dispersi per Armeniam, Cappadociam, & aliàs Regiones versùs Pontum Euxinum, quietè sese continebant ferè per seculum.

Tandem circa Annum 1300. iterum frequentari cœpit eorum nomen & imperi-

perium, duce & authore Osmano seu Ottomano, qui non adeò magni inter suos nominis (quamvis Annales Turcici ipsum de Oguciorum Principum familia asserant) sed manu audax ac promptus, cùm alij Principes discordiarum furijs acti, sese invicem mutuis cœdibus laniâssent, collectis undiq; & accitis qui rapinarum ac prædæ cupidissimi erant, non solùm Græcos, aliósq; in vicina Cappadocia & Bythinia Christianos vexare, sed & suos infestis armis invadere, eósq; sub sua juga mittere cœpit. Oppida quàm plurima, inter quæ erant Nacolia & Ancyra in Phrygia, Sinope in Galatia, celebris ortu ac sepulturâ Mithridatis, & Sebastia Cappadociæ, partim vi, partim deditione, in potestatem suam redegit. His successibus terrorem ingentem Græcis intulit : apud suos verò tantum sibi nomen & dignitatem peperit, ut primus Turcarum omnium consensu Rex, quem illi Amyram vocant, creatus fuerit, influxeritq; ita in barbarorum animos, ut alium sui generis Amyram, quàm de progenie Ottomani, in hanc diem patiantur neminem.

Huic fato functo Anno 1327. successit

cessit Orchanes filius natu minimus, qui prudentiâ, calliditate, promptitudine consiliorum, disciplinâ militari, copijs, apparatu, & victoriarum cursu, patri nulla in re inferior, liberalitate illum & comitate superavit; quâ arte militum animos sibi mirificè devinxit, atque ita maximum exercitum undique comparavit. Mysiâ enim, Lydiâ, Lycaoniâ, Phrygiâ & Cariâ subactis, limites novi Regni ad Hellespontum usque & Euxini littora propagavit. Prusiam vetustam Sedem Regum Bithyniæ, Nicæam item & Nicomediam expugnavit. Præfuit rebus Turcicis annis viginti duobus: de interitu ejus dissimiles narrantur opiniones: alij in oppugnatione Prusiæ sagittâ lethaliter ictum perijsse dicunt; alij in conflictu cum Tartaris occubuisse tradunt.

Post quem Amurathes filius regnavit, vir rei bellicæ peritiâ plurimùm pollens, qui & ipse dominationem à Patre relictam in majus provexit: nam duobus in Græcia de Imperio decertantibus, ab altero in auxilium accersitus ex Asia primus transijt in Græciam, & bellum inter partes consultò protraxit, ut &

captaret occasiones experiundi vires Græcas, & bello exhaustos Græcos, viribúsq; enervatos, & penitùs fractos, ipse demum invaderet. Quod etsi non acciderit tunc, bello enim confecto ad loca propria, unde venerat, redire debuit : captus tamen ubertate & amœnitate soli, insuper tot occasionibus obtinendæ Regionis invitatus, trajecit secundò, cum multò majoribus copijs, quas traduxerunt per Hellespontum duæ Genuensium naves, accepto in singula militum capita aureo nummo, Anno1363.

Atq; hæc initia fuerunt servitutis tristissimæ, quæ Constantinopolitanis Imperatoribus, præter inane nomen, aliud reliquit nihil : deinceps enim facti sunt Turcis vectigales. Inde quoq; initium extitit nostrorum, heu ! nunquam satis deplorandorum vulnerum. Mox enim ut in Græciam trajecit Amurathes, primò Chiridocastron, Galliopolim, & alia vicina Hellesponti oppida, partim dolo, partim vi cœpit : deinde viribus confirmatis, ulteriora aggressus, Philippopolim occupâvit, & quæ supra Hebrum est, Adrianopolim, frustra Impera-

peratore Græco initum cum perfido hoste fœdus, & res perditas deplorantes.

Ultimò, ubi maximam Græciæ partem sibi subjugâsset, Marcum quoque Bulgariæ, & Lazarum Serviæ in Mysia superiore Despotas, cum alijs Albaniæ in Dalmatia & Epiro Toparchis debellâsset, ad ipsum Græcorum Imperium sibi vendicandum, animum viréſq; totas adjecit. Sed dum hæc moliretur, à Milosso Cobilichio, viro fortissimo, natione Triballo, Lazari milite, pugione transfossus est, anno 1374.

Hic duos reliquit filios, Jacuppum Zelebi, quem Solimannum aliqui nominant, & Bajazetem. Sed Jacuppo extincto, res universa ad Bajazetem devoluta est: qui positâ sede Imperij Adrianopoli, inde mox fines suos longè latéq; extendit, Thraciam penè totam perdomuit, Mysos oppressit; in Macedoniam irrupit; Phocidem, Bœotiam, Atticam occupavit: Illyricos, Triballósque assiduis excursionibus, ac repentinis depopulationibus partim evertit, partim sub jugum misit. Tandem & ad ipsam Hungariam populabundus penetravit, unde præter auri argentîque vim, etiam

etiam ingentem captivorum multitudinem, nemine resistente abegit. Nec multò pòst Constantinopolim, caput & culmen Græci Imperij, vastato atq; direpto suburbano agro obsedit, & in tantùm afflixit cives, ut de salute sua solliciti de deditione cogitarent, absente Joanne Palæologo Imperatore, qui diffisus rebus suis ad imploranda Europæa auxilia, in Galliam usq; navigavit.

Præfuit eâ tempestate Regno Hungariæ Sigismundus Caroli IV. Imperatoris ac Regis Bohemiæ filius, qui ad Bajazetem Bulgariam tum igni ac ferro fædè populantem Legatos misit, & ut ab hostili infestatione Regni, in quod sibi uni jus esset, abstineret, monuit. Bajazetes introductis in atrium Legatis, & mandata exponentibus, arma quæ utrinq; ad parietes suspendi jusserat, acinaces, clypeos, loricas, galeas, arcus & pharetras, & quorum Turcis in prælio usus, digito commonstrans: Hoc, inquit, meum jus est, quo fretus, Provinciam hanc mihi vendico. Irritatus hoc responso Sigismundus, mox Regni sui vires contrahi, & alios adhuc per Bohemiam, Moraviam & Austriam conscribi

ſcribi jubet exercitus : quibus cùm Joannes Philippi Audacis Ducis Burgundiæ filius, Caroli ſexti Regis Gallorum patrui ſui impulſu, junxiſſet lectiſſimas equitum turmas, quas multi præſtantes viri, ex proceribus Suevicis, Bavaricis & Auſtriacis auxerant, directo in hoſtem itinere, penetrârunt ad Nicopolim uſq; Myſiæ urbem : ubi tentatâ oppugnatione urbis, ſpatium dederunt Bajazeti ad cogendas copias, qui ſuâ celeritate uſus, cum ducentis millibus, ipſis tantùm octoginta millia habentibus, ſeſe objecit. Pugnatum deinde, ſummâ noſtrorum temeritate, Gallorum præſertim, qui primi agminis decus depoſcentes, antequam aliæ regales copiæ, præcipuè Germanorum phalanges, Hungarorum equitatus Bohemorúmq; & Moravorum auxilia convenirent, è caſtris proſilierunt, & pugnam cum Turcis inierunt, à quibus lunatâ acie circumventi, ex equis, priſco ſuo more deſilierunt, pedeſtremq; iniêre pugnam. Inter hæc equi eorum ſoluti, totâ paſſim acie diſcurrebant, quos ſupervenientes Hungari ſeſſoribus vacuos conſpitati, (nondum enim illorum bellandi uſum nove-

noverant) cœſos omnes crediderunt, móxque diſſoluti in tumultus, ſemet omnes effuderunt in fugam : quo eorum turpi exemplo ducti alij, præcipites quoq; abierunt, reliquis aut cæſis, aut captis. Contigit hæc Chriſtianorum clades Anno 1395. ſecundùm alios Anno 1396. die 28. Septembris.

Sigiſmundus naviculam nactus, ægrè Conſtantinopolim, inde Rhodum evaſit: ac poſteà Venetorum operâ appulit in Dalmatiam ; Joannes verò cum alijs vivus in poteſtatem hoſtium devenit, cui ſuppliciter deprecanti Bajazetes vitam conceſſit, & alijs viginti duobus : reliquos captivos omnes in conſpectu ejus in fruſta concidi juſſit. Demum præcepit Joannem & illos viginti duos Pruſiam deduci, ibiq; cuſtodiri : ac tandem redemptis ducentorum millium aureorum precio, reditum conceſſit.

Intereà cùm Bajazetes hæc in Thracia gereret, & omnibus formidini eſſet, Tomyr Chan Tartarorum, cognomento Tamerlanes, edomitis ac ſubactis Sogdianis, Aracoſijs, Bactrianis & Hyrcanis, ad totius Aſiæ Imperium aſpirabat, jámque in ditiones Bajazetis ferebatur

pleno

pleno impetu : cui Bajazetes contracto quoq; valido exercitu occurrit intrepidus. Sed fortuna dolosa, quæ applaudens ei hucusq; arridere in cunctis videbatur, quantò altiùs illum antea extulerat, tantò fædiùs hic dejecit, atque prostravit. Nam in Cappadocia non procul à Stella Monte, Pompeij Magni de Mithridate victoriâ celebri, ingenti clade victus, captúsque est, secundo post Nicopolitanam cladem anno : insuper catenis aureis vinctus, caveæ ferreæ impositus, & ita à Tamerlane triumphante per Asiam circumductus, passimq; ostentatus. Imò sunt qui scribunt, quòd ascensurus equum Tamerlanes, ipsius dorso subdito quasi scabello usus sit. ; (exemplo fortasse Saporis Parthorum Regis, qui idem Valeriano Romanorum Imperatori fecit:) prandens autem, quasi canem sub mensa sua comedere jussit; sicq; illum injurijs tantis exagitatum ad mortem eò citius adegit; altero námque à captivitate anno his in miserijs contabuit.

Post cladem Bajazetis, filij ejus Celebinus, quem aliqui Cyriscelebem vocant, Moyses, Josua & Mustaphas in potesta-

testatem Græcorum venerunt : nam cùm capto Patre, periculum evasuri, ex Asia in Thraciam navigare contenderent, in naves Græcorum inciderunt, à quibus capti sunt; alij verò ipsorum fratres in Asia delituerunt. Celebinus, seu astu suo, seu (quod verisimiliùs est) Græcorum nautarum avaritiâ adjutus, quòd fato vocaretur ad Imperium, evasit feliciter Adrianopolim : ubi collectis veteranis, qui è Scytharum manibus elapsi in Europam quoq; trajecerant, regnum quassatum, & penè fractum, rursus firmavit, Bulgaros, Servios, & Macedonas, qui collectis copijs sua repetere volebant, ingenti clade affecit : Sigismundum quoq; Regem Hungariæ, qui ut cladem Nicopolitanam ulcisceretur, excitis Hungaris, Bohemis & Germanis, de novo arma in Turcas suscepit, ad Galambocum Rasciæ arcem, quam circumsederat, oppressit, ita ut vix ille parvo iterum navigio Danubium transiens hostiles manus evaserit : quod factum Anno 1409.

Post Celebini interitum, Orchanes filius, tenellâ ætate adolescentulus, quorundam Principum ductu & auspicio Regnum

gnum occupare conabatur : cui Moyses Patruus, & ipse à Græcis dimissus, infestis armis occurrit, & eo magis proditione, quàm pugnâ oppresso, Regnum occupavit.

Haud multò pòst Mahometes frater ejus, adjutus operâ Caramanni à Cilicia, ipsi capto guttur chordâ arcûs elisit, usitato genti barbaricæ supplicio, atque ita regnum universum obtinuit. Hic profectus in Asiam, multa loca à Tamerlane occupata recepit, tum verò plurimos Turcicæ gentis Principes in Galatia, Ponto, Cappadocia, Cilicia, vi atque armis oppressos, aut regnis exuit, aut imperio suo subdidit.

Inde reversus, primus Danubium trajecit, & VValachiam Moldaviámq; invasit. Mortuum tradunt Anno 1419. cui successit filius Amurathes istius nominis secundus : qui per id temporis in Asia manens, auditâ Patris morte, per Hellespontum in Thraciam conatus traijcere, Imperatoris Græcorum maritimo apparatu prohibitus est. Insuper Mustaphas natorum Bajazetis reliquus, ut rerum potiretur, à Græcis liberatus, & summâ vi adjutus fuit.

Sed

Sed Mustaphâ pugnâ superato, & simili, quo ante Moyses frater ejus supplicio extincto, Amurathes Regnum obtinuit, móxq; belli vim omnem convertit in Græcos, & peragratâ Thraciâ, acceptísq; in deditionem urbibus, quæ Imperatori Græco supererant, posteà Thessalonicam, quæ tunc in fide & potestate Venetorum erat, Civitatem illustrem, celeberrimámq; expugnavit, & captam dirripuit, indéq; movens, omnem citra Peloponnesum regionem, usq; ad sinum Corinthiacum, incredibili celeritate perdomuit.

Convertit deinde signa in Macedoniam, quam cùm satis longo afflixisset bello, Joannes Castriotus Dux Epiri pacem ab illo coactus eâ lege impetravit, ut cederet Crojâ oppido non ignobili, & obsides daret filios tres, Constantinum, Reposium, & Georgium, quos ille mox Mahometano ritu circumcidi, ac præcipuè Georgium, quem ob ejus eximias animi & corporis dotes summè adamavit, literis alijsq; exercitijs instrui jussit: quem postmodum etiam propter ejus vim corporis proceri atque robusti, quo superabat cunctos æquales, Scanderbegum,

gum, id eſt, Alexandrum Dominum appellavit. Qui tamen deinde Tyranno maximo exitio fuit: nam cùm inſigni calliditate ſolertiáq; uſus inEpirum evaſiſſet, & Crojam, ac reliquos Epiri Albaniæq; populos recepiſſet, coactis copijs non magnis, ſed pronâ voluntate militantibus, fines ſui Imperij adversùs Ottomanicam vim, adeò ſtrenuè ac fortiter tutatus eſt, ut non ſemel Amurathis & Mahometis penè invictos exercitus profligârit: nihilq; Turcis terribilius fuit, quàm Scanderbegi nomen.

Epiro ſic in ſuam poteſtatem redactâ, ac Illyride & Boſnâ partim pervaſtatis, partim ſubactis, Amurathes in Serviam movit, ubi Georgium Deſpotam coëgit, ut ſibi filiam Irenem (alijs Mariam) in matrimonium daret: verùm non curatâ affinitate, brèvi, ut hoſtis redijt, ipſúmq; Regno expulit, capto filio ſeniore Stephano, quem barbarâ crudelitate admotâ pupillæ candenti æneâ pelvi, oculorum uſu privavit.

Deſpota cum juniore filio Lazaro in Hungariam profugit. Rexerat tunc Hungariam Albertus Auſtriacus Romanorum Imperator ac Bohemiæ Rex, qui

etsi arma pararet in Turcas, ut clades priores ulcisceretur, & depelleret hostes Regno imminentes, in ipso tamen apparatu, dissenteriâ correptus, ex peponum esu nimio, è vivis excessit.

Post quem Hungari elegerunt sibi in Regem VVladislaum Regem Poloniæ, ut ita Polonorum societate vires Turcicæ faciliùs infringi possent: qui ut de obsidione Albæ Græcæ seu Belgradi, Urbis ad confluentem Danubij & Savi in clivo sitæ, quam Amurathes summâ vi oppugnârat, intellexit, mox Joannem Hunniadem Corvinum Transylvaniæ Præfectum eò cum exercitu misit, quem posteà cum majoribus copijs ipsemet est secutus. Magnam tunc perpessus est Amurathes tribus vicibus cladem, cœso Mezite Anatoliæ Bassâ suo affine, & Carambejo Phrygiæ Bassâ capto, ita ut non solùm ab obsidione Belgradi turpiter discedere, sed amissâ potiore parte Mysiæ, Serviæ & Rasciæ, pacem ultrò à VVladislao petere coactus fuerit, quam VVladislaus siquidem intestinis bellis domi agitabatur, in decem annos cum illo fecit, Hungaris in Evangelium Christi, Turcis in suum Alcoranum jurantibus.

Brèvi

Brevì tamen VVladislaus facti hujus pœnitentiâ ductus, instinctu Eugenij IV. Papæ, & Juliani Cardinalis, quasi non licuisset ipsi inconsultis alijs Principibus, ac præcipuè summo Pontifice, pacem aut fœdus ullum facere cum hoste omnium communi, supradictas decennales inducias rupit, & collectis copijs tum rectè, quando Amurathes in Asia cum Caramanno Ciliciæ Principe bello intricatus erat, ditiones illius invasit, & Victor ubique, ad Varnam usq; in littore Ponti oppidum, quod antiquitùs Dionysiopolis vocatum est, penetravit.

Amurathes ubi rem comperit, illicò re compositâ cum Caramanno, quantis potuit itineribus ad Hellespontum reversus, copias suas, aut elusis arte, aut corruptis pretio speculatoribus, qui littora servabant, in Europam transmisit, & cum socijs, qui non procul ab Isthmo Thracij Chersonesi, haud sanè memorabili numero paulò antè coierant, sese conjunxit.

Ad pugnam ubi ventum est, itum est ferocibus animis, certatúmque diu fortunâ ancipiti. Victoria tandem Turcis cessit. VVladislaus cùm usq; ad Janiczaros,

czaros, seu Prætorianos, quos Amurathes primus instituit, & tunc corporis sui custodes habuit, pugnando penetrâsset, ab illis telorum multitudine non tam confossus est, quàm obrutus : cujus caput hastâ infixum, per Græciam atque Asiam, ceu trophæum victoriæ populis ostentatum. Accidit hæc luctuosa clades die 10. Novembris, Anno 1444.

Tantâ Victoriâ elatus Amurathes; rectà Peloponnesum petijt, & muro expugnato in Isthmo Corinthiaco bipartito agmine regionem illam ingressus est : ubi oppida multa cepit, deripuîtq;, ac totum illum murum, qui regioni pro munimento erat, dissipavit, ut imposterum ubicunque liberet copijs pervagari posset, facilîsq; in eam undecunq; pateret ingressus.

Annis demum sequentibus Scanderbeg ille, de quo suprà, recuperatâ Crojâ Patriâ suâ, ac universâ Epiro, Turcarum res vehementer afflixit à parte una : à parte verò altera Hunniades, ita ut Amurathes, qui ex voto, quod in Victoria Varnensi voverat, in sodalitium Eremitarum legis suæ secesserat, filio Mahomete admodum juvene sibi surrogato, coactus

coactus fuerit reassumere administrationem Regni, & cum utroq; decertare: sed cum insigni virium suarum jactura. Unde ab hoc infelici rerum suarum cursu, usq; adeò acerbum ex animi dolore morbum concepit, ut è castris quæ ad Crojam urbem habuit, Adrianopolim relatus, paucissimis diebus, deliranti vesanóq; similis, exspiravit. Græci apoplexiâ extinctum scribunt Anno 1449.

Post interitum Amurathis, filius ejus natu major Mahomet II. successit, qui administrationem Regni à cœde fratris sui, quem in conspectu suo multâ vi aquæ obrutum suffocari jussit, auspicatus est.

Primum bellicorum operum ejus & terribile maximè fuit, Constantinopolis terrâ marîq; expugnata Anno 1453. die 29. Maij; quæ tunc fuerit captæ Urbis facies, vix cogitatione, ne dum verbis quisquam assequi posset. Constantinus Palæologus Imperator, dum fugere & ex Urbe foras erumpere conatur, in ipsa porta collisione multitudinis conculcatus interijt: cujus corpori invento, Mahometes caput demi, & conto

infixum, per castra & urbem, ad terrorem & lubibrium circumferri jussit.

Constantinopoli expugnatâ, triennio pòst Belgradum obsedit, acerriméq; oppugnavit : sed irrito conatu, Hunniade cum socio consiliorum & laborum sibi adjuncto Capistrano, quodam è Franciscanorum sodalitio strictioris Observantiæ Monacho, strenuè Civitatem defendente, qui Mahometem tantâ affecit clade, ut ille amissis circiter quadraginta millibus hominum, & machinis bellicis ferè omnibus relictis, accepto etiam in pectore sub læva papilla (secundùm alios in oculo) vulnere, turpiter retrocedere, & fugam dare coactus fuerit. Quod factum die 6. Augusti, Anno 1456. in cujus rei memoriam festum Transfigurationis Christi, quod antea celebrabatur in Ecclesia Græca tantùm, institutum quoq; est in Ecclesia Latina, quotannis sexto Augusti celebrandum. Mahometes verò fugam illam suam turpem tam graviter & cum tanta indignatione sensit, ut de morte sibi consciscenda cogitârit. Brèvi pòst bellum in Asiam transtulit, ubi subjugatâ Cappadociâ, & Paphlagoniâ, Trapezuntem alteram Im-

Imperij Orientis sedem obsedit, eámq; terrâ mariq; infestissimè oppugnatam cepit, potitus ipso Imperatore Davide, filijsq; duobus, & Calo-Joanne Patruele, quos præmissos Byzantium ad triumphum, deinceps crudelissimè interemit, excisâ cum his totâ Comnenorum stirpe, Anno Christi 1459. Et tunc subjugatis duobus Christianorum Imperijs, Constantinopolitano scilicet & Trapezuntino, Imperatoris Turcarum nomen consecutus est.

Trapezuntis Regno in formam Provinciæ redacto, Caramanno quoq; Ciliciæ Rege eodem victoriæ cursu debellato, Byzantium reversus est. Posteà cum Venetis & Genuensibus navalibus copijs decertavit, & immissâ classe in mare Ægæum, Lemnum, Lesbum, & Eubæam insulas occupavit, Corinthum, Mytilenen, Chalcidem, & alias nobilissimas urbes cepit, tantúmq; terrorem alijs ditionibus Venetorum incussit, ut pacem suppliciter petere, & annuo tributo sese obligare coacti fuerint; quo tempore Solymannus Basa, etiam Tartaros Præcopitas, ipsi tributarios fecit. Movit quoq; exercitum contra Draculam VValacho-

lachorum Principem, à quo circumventus in tantum venit diſcrimen, ut pereundum ipſi & exercitui fuerit, niſi cum recentibus copijs maturè ipſi ſuccurriſſet Mahometes Baſſa. Deinde ſuperiorem Myſiam & Illyricum aggreſſus, Stephanum Boſniæ Regem Jaitzæ obſedit, quem poſtea ſubdolè ad colloquium evocatum, cute vivum exui juſſit, ſicq; non tantùm Jaitzam Boſniæ Metropolim, ſed & ipſum Regnum cum magna parte Raſciæ & Serviæ poteſtatis ſuæ fecit; paulò poſt tamen pleraque illa Matthias Corvinus Hungariæ Rex vi recepit, & Mahometem reverſum ad novam Jaitzæ obſidionem ſolâ tantùm famâ adventûs ſui repulit: qui eum expectare non auſus, machinis in aquam demerſis, citatum agmen in Thraciam abripuit magìs, quàm reduxit.

Sequentibus annis, cùm Principes Chriſtiani mutuis inter ſe certâſſent odijs, Mahometes Iſabegum notæ crudelitatis hominem in Europam miſit: qui non tantùm maritimam Illyrici oram, ſed Slavoniam quoq; ad Italiæ & Carinthiæ uſq; fines pervagatus, multa hominum millia, nemine reſiſtente, in miſerrimam captivi-

ptivitatem abduxit. Misit etiam ad oppugnandam Rhodum Mesitem Bassam cum valida classe, & Achmetem Bassam in Italiam; ipsemet verò transijt in Asiam contra Soldanum Ægypti. Mesithes post multas & cruentas, sed irritas Rhodi oppugnationes, classem reducere coactus est, cum dedecore summo & detrimento. Achmet Hydrunto in Apulia expugnatâ, terrorem Italiæ tantum incussit, ut pleriq; è vicinis urbibus, etiam Româ fugientes, tutiora quæsiêrint.

Mahometes verò in Asiatica profectione apud Nicomediam repentè dolore colico correptus, extremum vitæ diem triduano cruciatu festinatâ morte clausit, Anno 1481. die 3. Maij, magno Reipublicæ Christianæ commodo; nam aliàs redeunte Achmete, qui viginti quinq; millia Turcarum in Italiam adducebat, inchoatum victoriæ cursum prosecuturus, non modò de Apuliæ Regno, sed de tota Italia, actum fuisse credebatur: sed morte Mahometis, quâ auditâ, præsidia Turcica, quæ tenebant Hydruntum, salvâ vitâ, Alphonso Regi sese cum urbe tradidêre, Italia à periculo imminente liberata est.

Mortuo Mahomete filius ejus Bajazetes II. profligato fratre Zyzimo Imperij æmulo, Regnum avitum suscepit. Hic anno Regiminis sui tertio, partem VValachiæ & Moldaviæ subegit, nonnullis arcibus ad Istri ostia expugnatis, inter quas præcipui nominis Kylia recensetur. Postea in Asiam contra Suldanum Ægypti bellum transtulit, infelici tamen eventu: nam bis profligatus, semel ad Adenam, secundò ad Tharsum, è centum millibus vix tertiam partem reduxit, captis duobus primis Bassis, Achmete & Mesithe. Quâ clade vix ullam majorem Turcæ pertulisse putantur.

Re compositâ cum Ægyptio, & morte Regis Hungarorum Matthiæ auditâ, Cadum Bassam cum exercitu ad infestandam Hungariam misit, qui prostratis copijs Slavonum & Croatarum, non procul à Savo, totum ferè Illyrium impunè depopulatus est. Inde Venetis bellum intulit, quòd Joannem Castriotum Scanderbegi filium, in repetitis, quæ eripuerat Mahomethes, contra pactas secum inducias adjuvissent, & Methone, Carrone, Dyrrachio, validissimis urbibus, aliisq; compluribus locis in potestatem

ſtatem redactis, claſſéq; Venetorum disjectâ & fugatâ, Venetos totâ Achajâ & Ætoliâ, omníq; Peloponneſo ejecit; ita ut Veneti hoc bello petiti, perculſiq;, ad Hungariæ, Hiſpaniæ & Galliæ Reges, implorandorum auxiliorum gratiâ recurrere ſupplices coacti fuerint.

Bajazetes tot & tanta auxilia perpendens, inſuper de novis in Aſia motibus inaudiens, obtulit Venetis pacem, quam illi tædio infelicis belli, atq; exhauſti ærarij difficultate coacti, amplexi ſunt. Et tunc quoq; VVladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ octennales inducias cum Bajazete pactus eſt: propter quod alij Principes Regi plurimùm obloquebantur, ejus vecordiam criminati.

Intereà Iſmael Sophus filius Harduellis Reguli Perſici, qui Halim interpretem Mahometanæ Legis ſequebatur, contrarium Homaro, quem Turcæ ſequuntur, oppreſſo Jacuppo Rege Perſarum, Regnum ipſemet occupavit, & occaſione innovatæ in Mahometana ſecta Religionis, mirificè rem ſuam auxit, ita ut clientes ejus ſectatoréſq; ſub duce Techille, qui erat diſcipulus Harduellis, ardore propagandæ Religionis accenſi,

non tantùm vicina Perſidi Regna ſubegerint, ſed in Cappadociam uſq; & Lycaoniam felicibus armis penetrârint, Sultanum Corcut filium Bajazetis fugârint, & binos Baſſas Caragyum & Halym, geminósq; exercitus duobus ducibus oppreſſis occiſione deleverint, penè citiùs, quàm magnitudo periculi Bajazeti innotuerit.

In locum Haly Baſſæ ſuffectus Junus Baſſa, qui collectis majoribus copijs, Techillem tandem Aſiâ minore ejecit. Porrò ab illo tempore Perſæ à Turcis in quibusdam legibus ſectæ Mahometanæ diſſentiunt.

Poſt bellum Aſiaticum, aliud inteſtinum Bajazeti tunc Adrianopoli hæſitanti, & dolore articulorum correpto, ambitione Selymi natu minoris filij exortum eſt. Quantò minùs ante præviſum, tantò ſævitiâ ac ſceleris atrocitate terribilius. Cùm enim Bajazetes de ſucceſſore deligendo cum Purpuratis deliberate cœpiſſet, & in Achmetem majorem natu filium propenſioris animi eſſet: Selym re intellectâ per Muſtapham Baſſarum Principem, Patrem bello adortus eſt, habitis etiam auxiliaribus

copijs

copijs à Tartaro Præcopite, cujus filiam in uxorem duxerat. Et cùm id non successisset, Patriq; reconciliatus esset, largitionibus egit, quibus tam Purpuratos, quàm Prætorianos seu Janiczaros corrupit, ab iisq; Imperator proclamatus est, ac statim Imperium à parricidio auspicatus, Patrem sibi Regno cedentem, & Dydimotichum ad natale solum, hortorum amœnitate & Cœli temperie ad capessendam quietem opportunum secedere volentem, veneno pharmacis per Hammonem Judæum Medicum indito, è vivis sustulit, Anno 1512.

Patre sublato, mox etiam in fratres eorúmq; filios rabiem exprompsit, necatis quinq; adolescentibus, fratrum qui jam decesserant, filijs, fratribúsq; duobus, Achmete & Corchuto strangulatis. Nec pepercit Mustaphæ, cujus subnixu ad Imperium conscenderat, quem strangulatum priùs, canibus deinde dilacerandum objecit. Supererant duo filij Achmetis, Amurathes & Aladinus, quorum hic ad Campsonem Ægypti Sultanum, ille ad Hismaëlem Sophum fugit. Unde novorum bellorum causa Selymo conflata, liberavit Orbem Chri-
 stianum

ſtianum ſummo, quod ab illo impendebat, diſcrimine. Nam cùm Perſæ irrupiſſent in Cappadociam, coactus fuit Selym tranſire in Aſiam, ubi coadunatis ad centum & quinquaginta armatorum millibus, in campis Caldæronis ad Choim Vrbem, cum Perſis prælium inijt, quod ultimo cedente ex acie Hyſmaele, propter vulnus ſclopeti ictu in humerum inflictum, victoriâ Selymi diremptum eſt. Cruenta tamen nimis fuit illi hæc victoria: nam ſupra triginta millia hominum ex ſuis amiſit. Posteà convertit arma in Aladolum Regem, qui Regioni Montanæ, Turcis Dulgadir dictæ, Tauro & Antitâuro montibus circumdatæ, præfuit: contra quem Synanem Baſſam cum exercitu miſit, bellóque victum cepit & occidit, atq; ita Regnum ipſius totum occupavit; quod cùm in tres præfecturas diviſiſſet, contulit ſe Iconium in Lycaoniam, inde in Europam, limites ſui Regni à parte Panoniæ defenſurus. Eo enim tempore Joannes Tranſylvaniæ Dux, contractis copijs, ad decem millia peditum equitúmq;, bellum in Turcas ſuſcepit, & arcem quandam æquali ferè intervallo,

vallo, inter Albam Græcam & Samandriam sitam, quæ Turcis & Thracibus Dalmatisq; Cavalla, Hungaris verò Samo vocatur, validâ obsidione cinxit: infelici tamen conatu, nam à Bali Bego Samandriæ Præfecto, castris exutus fugatúsq; est. Quod factum Anno 1515. paucis diebus, antequàm fuerit Imperatoris Maximiliani, & Regum, VVladislai Hungariæ, & Sigismundi Poloniæ habitus Viennæ conventus.

Cùm posteà Selym nihil prorsus moveri contra se ab Europeis Principibus advertisset, rediit in Asiam cum novo multóq; prioribus majore belli apparatu, non alio fine, quàm ut Campsonem Suldanum Ægypti tolleret, Imperiúmq; Mamalucorum sibi subjugaret. Quod & factum: nam præter spem & opinionem Campsonis, magnâ celeritate superatis Tauri jugis, pervenit in Camagenam, ubi cum Campsone acie congressus, eo eventu pugnavit, ut Cajerbego Præfecto Alepi & Comagenæ insigni perfidiâ Campsonem non modò deserente, sed quoque infestis persequente armis, Mamaluci fusi fuerint, & Campson ipse armis multóq; abdomine gravis, cadente

equo conculcatus interierit. Quo successu, totam Comagenam occupavit, & ducto in Syriam exercitu, primo statim ingressu urbes præcipuas, ut Hierapolim, Damascum, Tripolim, Berytum, Sidonem, Ptolemeidem, & alias in deditionem accepit, ac fuso iterum ad Gazam Urbem exercitu Arabum, Gazâq; occupatâ iter in Ægyptum sibi aperuit.

Intereà Mamaluci Memphim seu Alcairum ex fuga delati, in Campsonis locum delegerunt Tomumbejum Circassium, qui Selymo obviam egressus ex urbe cum tota sua vi, ita quoq; infeliciter pugnam inijt, ut amissis illustrioribus Præfectis, & flore equitum vi tormentorum perturbato, intra urbem se recipere coactus fuerit, tanquam ibi ultimo jam de Imperio, de liberis, de vita decertaturus. Neque tunc Selym fortunæ suæ defuit, sed celeritate usus, magno ausu urbem aggressus est, quam die tertiâ perrupit, Mamalucis penè omnibus internecioni datis, ipsóq; Tomumbejo capto, quem diu in quæsitione de thesauris acerbissimè tortum, ac tandem mulæ impositum, pérq; urbem circumductum, laqueo de collo pendente, & manibus à tergo re-

vin-

vinctis, victor Selym ad portam Syriæ unco ferreo suspendi jussit. Sic Regnum Mamalucorum in Ægypto, quod duravit annos circiter ducentos & quinquaginta, serie numeratâ à Turquemenio usq; ad Tomumbejum, demolitum est. Erant autem Mamaluci illi pleriq; Circassi de gente Heneta Christianis parentibus orti, ac posteà abjurato Christo Mahometanis sacris initiati ac circumcisi: unde Mamaluchi, idem quod circumcisi, sonat. Selym Ægypto & Syriâ in Provinciam redactis, Byzantium redijt triumphabundus, ac posteà brevì ulcere canceroso correptus, ultricibus furijs, eo ipso in loco, quo Bajazetem Patrem acie circumfusum opprimere conatus fuerat, extinctus est. Anno 1520. Septembri mense.

Successit ipsi filius unicus Solymanus, viginti circiter annorum ætate ex Præcopite Tartari Principis Alpij Sultani filia genitus, qui eodem ferè tempore & mense Constantinopolim ex Cappadocia advectus imperare cœpit, quo Carolus V. Aquisgrani primâ Romani Imperij coronâ insignitus fuerat. Hic primo inaugurationis suæ anno, spretis novi Hun-

garìæ

gariæ Regis Ludovici juvenilibus annis, & Proceribus de administratione Regni discordantibus, Albam Græcam Hungariæ repagulum adoritur, acerrimè oppugnat, ac tandem capit, præsidiarijs contra fidem datam omnibus trucidatis. Sabatium quoq; nobile ad Savum oppidum adortus, vi in potestatem redegit. Quo facto, & utroque præsidio validâ manu munito, Adrianopolim redijt. Anno verò sequenti InsulamRhodum aggressus est : quæ etsi à fortissimis Equitibus, seu Crucigeris, eorúmq; Principe, quem ipsi magnum Magistrum vocant, Philippo Villerio natione Gallo pertinacissimè defenderetur : tamen post toleratas sex mensium continuæ oppugnationis asperitates, nemine ex Principibus Christianis in auxilium accurrente, eò quòd ipsimet civilibus bellis implicati armis inter se dimicarent, in manus Solymani devenit : destituti enim Equites omni ope humanâ divináq;, ad deditionem ejus, ipso Christi Dei Natali die, compulsi sunt, pacti corporum & rerum suarum incolumitatem, quam Turcæ ipsis utcunq; præstiterunt. Eâdem summi infortunij clade Insula Cos, Hippocratis patria,

patria, ac cæteræ eorundem Equitum ditiones, quas in Caria, Halicarnasso, alijsq; Asiæ locis habebant, simul in hostium potestatem concesserunt.

Quarto anno post, Solymanus denuò in Hungariam expeditionem suscepit, & trajecto Savo, Varadinum Petri, oppidum in Danubij ripa præalta in rupe situm, obsedit, viq; expugnavit: quod & Villaco fecit, Hungaris tardè nimis ad arma sese disponentibus, quorum cùm congregata fuissent viginti sex millia tantùm, & adesset ipse quoque Rex, fatis ita urgentibus, antequam auxiliatrices copiæ ex Transylvania, Illyrico, Bohemia, Moravia & Silesia, quæ insignes fuerant, & jam propè aderant, convenissent, prælium non procul à Mohatio inierunt, in quo fusi fugatique omnes. Rex fugâ salutem quærens, in cœnosum quendam rivum, cùm illum transire, & aggerem ripæ superare voluisset, reflexis habenis, resupinatóq; equo cecidit, ubi degravantium armorum pondere, & equi colluctatione oppressus, interijt. Periêre eo prælio partim in acie, partim in fuga, decem millia equitum, ac circiter duodecim millia

lia peditum ; è Nobilitate verò clari nominis ampliùs quingenti, Archiepiſcopi duo, Epiſcopi quinque. Contigit hæc memorabilis ſimul & miſerabilis Mohaciana clades Anno 1526. die 29. Auguſti

Inde hoſtis in populationem effuſus, nullum crudelitatis genus prætermiſit, omnia ad Balatonem uſq; lacum ferro flammáq; devaſtando. Budam quoq; Regni caput omni præſidio nudatam, nullo negotio cepit, & diripuit. Intereà nunciatur ipſi de domeſticis tumultibus à quodam Calendero Celebio in Aſia excitatis : quare omnibus, quæ inter Danubium & Dravum occupaverat, locis, atq; ipsâ etiam Arce & Civitate Budenſi ſine ullo præſidio relictis, Byzantium eſt reverſus.

Anno poſteà tertio, cùm Ferdinandus Rex Bohemiæ, & Joannes Dux Tranſylvaniæ, uterq; à ſua factione in Regem Hungariæ coronatus, de poſſeſſione Regni armis decertarent, denuò in Hungariam cum ducentis millibus rediijt, à Joanne in auxilium vocatus : unde non tantùm in Hungariam, ſed & in vicinas Imperij Romani Provincias, verè

Ilias

Ilias malorum redundavit. Nam Solymanus ſuſcepto in clientelam ſuam Joanne, ſatis non habuit, quod ex omnibus ferè præſidijs Hungariæ militem Ferdinandeum ejecerit, ſed ad Viennam uſq; progreſſus, Urbem totius Chriſtiani Orbis propugnaculum arctiſſimâ obſidione cinxit, & per dies viginti duos acerrimè oppugnavit. Quam etſi non occupârit, divinâ magis ope, quàm humanâ, ut olim ab Aſſyrijs Hieroſolymam, defenſam, magnâ tamen clade affecit viciniam totam, devaſtando flammâ ac ferro univerſa, abductâ etiam ingenti multitudine hominum in crudelem ſervitutem.

Anno iterum tertio, multò numeroſiore collecto milite Styriam invaſit, & ad Græcium uſq; penetravit: Caſſanum verò unum è ſuis Ducibus cum Acangijs, qui ſunt prædatorij equites, ſuo ære, ſed quintâ prædæ parte Principi attribuendâ militantes, Lincium versùs, ad depopulandam vaſtandámq; Auſtriam ſuperiorem, miſit. Sed cognitis Caroli Cæſaris ac Ferdinandi Regis viribus, qui cùm millibus triginta equitum, & nonaginta peditum, adventum ejus in Au-

ſtria præſtolabantur, Panico quodam terrore perculſus, ſæpéque reſpectans, num ab illis à tergo, aut à fronte, aut à lateribus invaderetur, nullâ re memorabili peractâ, tumultuariè Styriâ diſceſſit, & pro tutiori trajecto ad Marpurgum Dravo, quem transnatare debuit cum omnibus ſuis copijs (incolæ enim & pontem cum ſublicis diſiecerant, & lintres ubiq; omnes cum pontonibus & navigijs cujuſvis generis, ne hoſtibus uſui eſſe poſſent, concremaverant) non ſine multorum jactura, duro ſatis ſtrictiſſimóq; inter Alpes & Dravum itinere, domum properavit. Caſſanus verò à noſtris inter devia & ſaltus exceptus, cum ſuis penè omnibus interijt. Pulchra tunc aderat occaſio perſequendi hoſtem, aut recuperandi ſaltem amiſſa : tantus enim fuit tunc Cæſaris ad Viennam exercitus, quantum ad eum uſq; diem è Germaniæ finibus vix quiſquam eductum meminerat ; ſed nihil amplius factum, Cæſare in Italiam ac inde in Hiſpaniam cum copijs recedente.

Variâ deinde fortunâ in Hungaria res actæ ſunt : donec tandem transactione pacis ad hunc modum, ut Joannes uſq;

ad obitum Regno potiretur, post obitum ejus Ferdinandus, aut unus è filijs suis succederet, factâ, quievissent. Intereà Solymanus bellum in Asia prosecutus est, ubi primo successu magnas Persis intulit clades, Tebrisio, Babyloniâ, aliîsq; peramplis urbibus occupatis : posteà tamen gravi prælio cœsus, fugatúsq; est. Quod contigit & Vezirio Barbarossæ, quem Cæsar cruento bello vicit, & Tuneto recuperato, Affricâ ejecit.

Mortuo Joanne Rege Anno 1540. denuò funestum recruduit in Hungaria bellum. Nam paulò ante obitum filius ei natus fuerat Joannes Sigismundus, quem nonnulli Proceres, post sepulturam Patris, in Regem Hungariæ coronârunt, indito ei Stephani nomine; & cùm Ferdinandus Regnum repetijsset, à Solymano contra illum auxilium implorârunt: quorum temeritas & præcipitata in eam rem consilia vix non toti Regno quondam florentissimo supremam cladem atq; excidium attulisse visa sunt. Quippe Solymanus præmisso in Hungariam Mahomete Bassâ cum copijs, mox & ipse anno sequente cum Prætoriano exercitu, & duobus filijs suis Mechmete & Selymo acce-

accelerat, & positis ad Budam castris Matri viduæ nunciat cupere se filium videre, ut sibi eum in castra mitttat. Quo facto, iterum significat, velle sibi Urbem tradi,, eò quòd ipsamet non haberet tantas vires, quibus eam contra hostes defendere posset. Interim fortissimis militum datur negotium Urbis occupandæ, qui per simulationem visendæ urbis, unam portam post alteram tacitè, sine ullius rixæ tumultu, occupârunt, ut custodes, & cives, ac alij vix factum animadvertisse viderentur. Occupatâ Urbe remittitur ad Matrem filius, quem subsequutus Solymanus, Matrem cum pupillo specie infaustissimæ clientelæ deceptam, sede Regiâ decedere, & in Transylvaniam migrare jubet.

Hoc modo Regina, ne vultu quidem testari dolorem ausa, tacitis solùm votis perfidiam Tyranni detestata, necessitati cedere, & Budâ in Transylvaniam excedere coacta est. Solymanus relicto Budæ Pestîq; Præsidio, unâ cum Solymano Bassa natione Hungaro, reliquum exercitum domum reduxit.

Vix duo anni exierant, cùm denuò expeditionem in Hungariam suscipit,

suasu

ſuaſu Regis Galliarum Franciſci, quaſi jam de toto Regno cum Ferdinando, (cui paulò antè magnæ copiæ è Germania, Duce Joachimo Brandeburgico, Imperij Septemviro in auxilium venerant) decertaturus. Mittit etiam, ſuaſu ejusdem, Hariadenum Baſſam cum valida claſſe, ad vexandas & depopulandas Hiſpaniæ & Italiæ, Siciliæq; oras, ne Cæſar & Ferdinandus bello petiti & diſtracti, ſibi invicem opem ferre poſſent. Solymanus Hungariam ingreſſus, Valponem, Soclosiam, Quinque Eccleſias, aliáq; vicina oppida, partim vi, partim deditione cepit: poſtea Strigonium, Albam Regalem, & Tatam aggreditur, & ijs quoq; occupatis, atq; ita potiore parte Hungariæ in formam provinciæ redactâ, cùm non fuerint ſufficientes noſtri ut reſiſterent, triumphanti ſimilis Byzantium reverſus eſt.

Anno ſubſequente, Cæſar & Ferdinandus bello, quod poſtea contra Proteſtantes geſſerant, intenti, inducias ad quinquennium cum Turca pacti ſunt: per quas Hungariæ reſidua pars è barbarorum incurſionibus aliquantùm liberata fuit. His inducijs incluſi quoq;

Rex Galliarum Franciſcus, & Senatus Venetus, Turcarum confœderati. IntereàSolymanus vim omnem belli transtulit adverſus Sechmam Regem Perſarum, & Equites Melitenſes, antea Rhodios dictos. In Perſiam ipſemet tranſijt. Contra Melitenſes Sinanum Baſſam miſit, ad oppugnandam Melitam cum valida claſſe. Utriusq; hujus expeditionis finis fuit, ut Sinan à Melita rejectus, Tripolim in Affrica, aſtu magis quàm vi, ceperit. Solymanus verò re modicâ cum Perſis actâ, inglorius domum redijt.

Quinquennio elapſo, cùm Ferdinandus Rex juxta conventionem cum vidua nomine pupilli factam, Tranſylvaniæ poſſeſionem inijſſet, Solymanus id graviter ferens, Mechmetem Beglerbegum, ac poſt illum Achmetem Baſſam cum ſexaginta millibus in Hungariam Tranſylvaniæ viciniorem miſit, qui trajecto ad Saloncamenum ſeu ſalſum lapidem, Danubio, & Beſquereco, Somlio, Chanadio, Calyâ, Lyppâ, alijsq; compluribus Caſtellis occupatis, demùm etiam, poſt longam obſidionem Temeſvario & Solnoko, magnâ clade noſtros affecerunt.

Circa

Circa illud tempus Mustapha filius Solymani ex suspicione affectati Imperij, strangulatus est unà cum filio Mahomete : ac brevi pòst alter nomine Bajazetes cum quatuor nepotibus. Reliquus erat unus Selymus, cui etiam extrema minatus est crudelis pater, nî solus superesset.

Petierat tunc Ferdinandus à Solymano protrahi pacis inducias, sed ab illo præferocem ac superbum gerente spiritum, quem maximè causabat pax cum Persis facta, non potuit impetrare nisi semestres. Tandem ubi necessitate ita imperante Transylvaniam certis conditionibus Joanni Sigismundo tradidisset, séq; ad certum tributum quotannis pendendum Tyranno obligâsset anno 1561. pax ad octennium data, quam etiam Ferdinandus, quoad vixit, inviolatam servavit. Mortuo Ferdinando, Anno 1564. die 25. Julij, & Maximiliano filio successore relicto, cùm res Pannonicæ, violatâ à Transylvano pace, iterum in apertum bellum exarsissent, Solymanus post tentatam irrito conatu Melitam, denuò vim belli omnem in Hungariam convertit, & cum tota mole copiarum,

quæ ad centum millia equitum, præter Janiceros & Asapos pedites, constituere ferebatur, ad Sigethum arcem munitissimam, inter Savum & Dravum cum oppido subjacente sitam, frustra antè ab Aly Eunucho bis oppugnatam, movit, quam obsidione arctissimâ, ac posteà oppugnatione fortissimâ aggressus est, nostris tunc ad Jaurinum stantibus, neq; ulterius progredi audentibus.

Præerat ei loco cum Imperio Nicolaus Comes Zrinius, vir immortali memoriâ dignissimus, qui adactis novo sacramento Tribunis, & militibus præsidiarijs, & se quoq; illis jurejurando obstricto, de non tradendo loco, sed ad extremum usque spiritum tuendo, ut aut libertas, salúsq; omnium vindicanda esset, aut si sors ita ferret, honestissimâ morte pro Patria oppetendum, strenuè partes suas egit, ac per dies triginta duos animo imperterrito oppugnationem sustinuit. Tandem expugnato ab hostibus novo & veteri oppido incensáq; arce, cùm videret se atrocitate incendij, quod extingui nullo modo poterat, magis quàm hostium vi, in extremas angustias redactum, statuit cum suis in

con-

confertiſſimos hoſtes erumpere, ut fortiter pugnando caderet potiùs, quàm flammis hauriretur. Quare ſermone priùs ad milites habito, & eorum animis in pulchram mortem excitatis in hoſtem erupit, & obvia quæq; ferro ſternendo, duobus è ſclopeto ictibus trajectus concidit : tantóq; ardore tunc pugnatum eſt, ut è trecentis, vix quatuor vivi in hoſtium poteſtatem pervenerint. Atq; ita ultimò arx exuſta à Turcis obtenta eſt, in cujus illâ totâ obſidione viginti millia Turcarum interierunt. Expugnationem illius tamen Solymanus non vidit, nam triduo antè morbis & ſenio gravatus, ſuperveniente etiam alvi profluvio, è vivis exceſſit, Mechmete Vezyrio, donec Selymum de morte Patris certiorem redderet, uſq; adeò obitum ejus occultante, & ut fama erat, etiam medico Judæo, qui curam ipſius egerat, arctioris ſilentij cauſa neci dato, ut nemo in caſtris extinctum illum etiam poſt captam arcem ſcire potuerit.

Selymus paterno Imperio potitus, mox in novos belli apparatus incubuit, quorum fama ita Cæſarem Maximili-

anum pereulit, ut pacem ab illo petere constituerit. Itaq; re in Comitijs Posoniensibus comprobatâ, Legatos Byzantium cum muneribus & pecunia misit. Quibus eò delatis, pax non multò pòst, ad annos octo, ab anno 1568. incipiendo conficitur, ad eum modum, quo antea cum Solymano, hoc solùm addito, ut quisque sibi retineret, quod eo bello cepisset. Erántq; Turcæ in his inducijs concedendis eò promptiores, quod jam tunc secretioribus consilijs bellum in Venetos, pro Cypro Insula eis adimenda, meditarentur. Quod brevi posteà evenit: nam rupto derepentè fœdere pacis, Selymus Mustapham, unum è purpuratis cum apparata classe ad oppugnandam Cyprum misit, qui captâ primùm per deditionem Nicosiâ, ac deinde Famagustanis post sextum, obsidionis mensem sese dedentibus, & trucidatis contra datam fidem Venetorum stipendiarijs, ipsiq; Bragadino Duci crudelem in modum cute vivo detractâ, totam Insulam in potestatem redegit, Anno 1571. Mense Augusto.

Sequenti verò Mense, cùm Veneti junxissent classem suam cum classe Pontifi-

cis Pij V. & Philippi Hispaniarum Regis, & cum Turcis ad Echinadas Corinthiaci sinus Insulas prælium inijssent, Deo Optimo auspice, insignem atq; in omne ævum memorabilem victoriam reportârunt: devictâ partimq; profundo mersâ, partim captâ hostium classe, ac cæso Aly Bassâ, ita ut præter ingentem navium & tormentorum numerum amissum, & validissimæ classis jacturam, triginta amplius Turcarum millia ceciderint, quatuordecim ferè millibus Christianorum, qui ex varijs nationibus ad transtra remigium catenis constricti diram servitutem serviebant, singulari Dei ope liberatis: quorum magna pars ex Pannonijs per varios casus interceptis constabat: qui à victoribus domum remissi, postliminio læti redierunt.

Post eam victoriam conabantur Veneti recuperare Cyprum, sed frustra, aliqua tantummodò oppida in Albania & Dalmatia vicina mari de potestate Turcarum eripuerunt: nec multò post, præposteris usi consilijs, nescio Pontifice, nec Hispano Rege admonito, clam cum Selymo, relictâ illi Cypro, pacem inierunt. Hoc facto Selym misit Synanem

Bassam in Africam cum ingenti classe, in qua centum quinquaginta triremes, ac triginta onerariæ naves numerabantur, contra Hispanos, qui Tunetum ceperant. Synan erepto Tuneto & Guleta munitissimo Oppido Castellóq; vi expugnatis, Hispanorumq; Ducibus partim captis, partim Africâ totâ ejectis, incolumem victricémq; classem reduxit. Sed Selymus non diu eâ victoriâ lætatus, in gravem lethalémq; morbum incidit, quem cùm superare non potuisset, Idib: Decembris, Anno 1574. extinctus est.

Selymo successit filius Amurathes illius nominis III. qui simul ac sceptris potitus est, quinque Fratres natu minores, Mahometem, Aladinum, Giangirem, Abdulahem & Solymanum crudeli parricidio, ipsemet immotis oculis atrocitatem facinoris inspectans, strangulari jussit: ac deinde stabilito in præsens dominatu, & cum Cæsare pace in aliud octennium prolongatâ, bellum adversus Mehmetem cognomento Hodabendem Persarum Regem movit, quod continuò per quindecim annos variâ fortunâ, ac sibi semper adversa gessit. Etsi enim loca aliqua circa Caspium mare, ubi inte-

interior Sedes Perſarum Regum erat, occupâſſet : extrema tamen & ferè incredibilis copiarum ipſius ſtrages, aliquot prælijs & conflictibus edita eſt; ejúſq; exercitus, cui primùm Muſtaphas, item Oſmanes, deinde Synan, poſtremò Ferhates præfuerunt, non ſemel ad internecionem fuſus, fugatúsq;. Interim in Hungaria etſi inter noſtros & Turcas fuiſſent firmatæ induciæ pacis : ſinebant tamen utrisq; liberam excurrendi in hoſtiles fines facultatem, negato ſolùm tormentorum in oppugnandis Arcibus uſu & conatu. Unde fiebant excurſiones utrinq; & cœdes.

Et tum temporis Ugvarinum ſeu Novæ Arces, munitio præſtans, à Friderico de Zierotin Barone Moravo, juſſu Cæſaris ad Nitriam flumen, quò magis excurſiones Turcarum in regionem Vagi cohiberi poſſent, ædificari cœpta, expenſis ut plurimum Moravorum, Bohemorum & Sileſiorum.

Ad finem anni 1583. induciæ iterum ad novem annos ſubſequentes, initio à Calendis Januarij ducto, prorogatæ ſunt: quas tamen Turcæ non ſervârunt : nam icto fœdere cum Perſis anno 1590. vim

 belli

belli totam contra Cæſarem fide induciarum illarum confiſum, ſuadente ita Synano purpuratorum Principe, & Haſane Boſnæ Præfecto rem actu exequente, nefariè transtulerunt. Et quia Muphti ſummus ſuperſtitionis Mahometanæ Antiſtes, in Divano, quo nomine publicum à Turcis conſilium vocatur, potentiſſimis rationibus,longáq; oratione bellum tam iniquum cum amicis & confæderatis diſuadebat, & ad pacem, ut ea omnibus, quibus conceſſa eſt, inviolata conſervaretur, hortabatur, addens ſe, omnibus illis, qui aliter ſuaſerint, & fecerint, communione & commercio hominum & aquâ ac igni interdicturum, animas verò diris cacodæmonibus apud inferos æternis ignibus excruciandas, traditurum ; Synan etſi id graviter indignéq; tuliſſet, ceu Author illius belli & concitator, profundâ tamen diſſimulatione id intra ſe ſuppreſſit, vocatóq; Muphti honoris gratiâ in convivium, venenum inter epulas ei clàm præbendum curavit, quo tabefactus, antequam ſuaſores & auctores belli excommunicare poſſet, è medio tolleretur. Illo autem extincto Amurathi perſuaſit,
nimio

nimio imbecillis senectæ vitio, ita repentè fuisse exanimatum.

Mox ergo in autumno Anni 1591. Hasanes collectis copijs cum quinque armatorum millibus, ac totidem tormentis, acerrimam ad Zagrabiam usq; irruptionem fecit. Cujus exemplo motus alter Hasanes cognomento Parvus, qui Sigethanam Provinciam obtinebat, in Hungariam quoq; excurrit, & arcem Conariam improviso impetu capit, & diripit; & hic quidem prospero successu: sed ille in reditu à nostris interceptus, non solùm tormenta, sed potiorem quoq; partem prædæ, unà cum quadringentis Christianis promiscui sexûs, deserere coactus fuit. Quo casu irritatus, etsi arcem Sissecum obsederit, rem tamen vano conatu egit: imò cùm secundò obsidionem aggressus fuisset, à nostris victoriâ solenni fugatus, in Culpa flumine, quem transnatare voluit, miserè perijt: sicq; primus ex auctoribus violati fœderis, perfidiæ ac temeritatis suæ pænas fædâ morte persolvit.

Intereà Cæsar nihil minùs, quàm quicquam adversùs fœdera & pacta admissum cupiens, munus quod à biennio

varijs de caufis intermiffum erat, fine ulla mora curari, & Comoram fecundo Danubio mitti juffit, ac Adamum Gallum de Lobkovitz, clarum in Bohemia virum, à quo illud Byzantium deferretur, Legatum conftituit. Sed cùm advertiffet, Synano medium quò minùs deferri poffet impediente, tolli omnem fpem pacis, revocavit illum, & pecuniam pro munere deftinatam, in ufum belli convertit.

Itaq; rebus manifeftè ad arma deductis, bellum fufcipitur, fummâ belli à Cæfare Ekenbergo, ab Amurathe Synano commifsâ. Brevi pòft Synan aftu magis, quàm vi Siffecum occupat, infpectantibus penè noftris, qui numero longè inferiores, obfeffis, licèt maximè vellent, opem ferre non potuerunt. Occupat etiam Vefprinium & Palotam.

Tandem, ubi noftri collegiffent omnes fuas copias, ad quadraginta millia bellatorum, Albam Regalem aggrediuntur, Bafsámque Budenfem, qui cum ingenti exercitu obfeffis in auxilium venerat, gravi prælio cædunt, ita ut peditum fex millia, equitum quatuor millia interierint, noftris folùm 40. defidera-

ſideratis : potuiſſétq; tunc Alba facili negotio recipi, ſed cùm hiems inſtaret, & commeatuum pulverisq́; non eſſet ſufficiens copia, placuit in hyberna militem deduci. Circa illud tempus etiam Tiffenbachius, qui Caſſoviæ Pannoniæq́; ſuperiori imperabat, Sabatiam & Filecum, in quo Turcæ poſt Budam maximam fiduciam collocabant, cepit, & junctis ſuis copijs cum Battorio & Humanajo Hungaris, Turcas ad Seceniam fugavit : quo felici eventu, plures adhuc in vicinia arces, ut Plabenſtein, Divinum, Zamoſcium, &c. occupavit. Ita Dei beneficio vix menſtrui ſpatio, non exigua Hungariæ pars, à Turcarum ſervitute liberata fuit.

Anno ſequente, videlicet 1594. Mathias Archidux, cui Præfectura belli Pannonici à Cæſare fratre demandata erat, Novigradum obſedit, quo pertinaciter oppugnato, obſeſſorum animi ita ultimò concidêre, ut candidis protenſis vexillis, pacem flagitarent. Transactum cum illis, & abeundi omnibus facultas conceſſa : cautum tamen, ne quid præter ſingulos enſes auferre liceret. Strigonium deinde oppugnandum

Archidux ſibi ſumpſit, & quamvis unam urbis partem, Raſcianorum qui in urbe erant, proditione occupâſſet, ulterior tamen in primario oppido & arce occupanda irritus fuit conatus, eò quòd ſubſidia, quæ Budâ ferè quotidie ſubmittebantur, excludi non potuerint. Inſuper Synanem Baſſam cum centum & quinquaginta millibus obſeſſis opitulatum adventare nunciatum eſt : quare ne caſtra opprimerentur, Archidux obſidionem ſolvit; ſimiliter Tiffenbachius, qui arcem Hatvan obſederat, cùm de adventu ingentis hoſtium multitudinis cognoviſſet, ſolutâ obſidione, Caſſoviam reverſus eſt. Synan verò ijs cognitis Jaurinum obſidere decernit, móxq; eo univerſas copias, occupatâ in itinere Tatâ, & arce S. Martini, admovet, noſtris ad Ovarium uſque, non ſine confuſione & clade retrocedentibus.

Præerat Urbi Ferdinandus Comes ab Hardek, qui primò utcunq; impetum hoſtium forti animo toleravit, poſteà tamen auro (ut ferebatur) à Synane corruptus, tam diu de urbe dedenda, cum hoſtibus egit, uſq; dum paciſcendo conveniſſet, ipſique propugnaculum,
illud

illud totius Orbis Christiani munitissimum, cum omni apparatu bellico, & annona tradidisset. Jaurinum secuta est Papa, etiam ignaviâ præsidiariorum perdita. Tali victoria Synan, in ampliorem spem erectus, exercitum ad Comoram obsidendam duxit, magnáq; vi oppugnationem est aggressus, sed inopinato adventu Archiducis, qui collecto insigni exercitu Comoram versùs festinabat, quem plenis passibus sequebantur 16. millia Bohemorum & Moravorum, Petro Rosembergio duce, territus, vasis conclamatis castrîsq; incensis, copias suas Jaurinum reduxit, ac inde milite in hyberna dimisso (quod fecerunt & nostri) Constantinopolim redijt ovans.

Non multò pòst, Amurathes Turcarum Princeps, magnis pleuritidis doloribus vitam Imperiúmq; finivit, Nonis Januarij 1595. Mors illius totos decem dies occultata est, quoad filius ejus maximus natu, Mahomet nomine, qui tum in Amasia erat, per celeres equos Constantinopolim accerseretur. Is cùm Paternum Solium occupâsset, fratres suos omnes numero undeviginti strangulari,

matrésq; eorum Novercas ſuas in mare proijci & ſuffocari juſſit : ſicq; Imperium parricidio auſpicatus eſt.

Interea Sigiſmundus Bathori Tranſylvaniæ Dux irritatus Synanis poſtulationibus iniquiſſimis, à Turcarum ſocietate receſſit, & cum Cæſare fœdere percuſſo, quem ſecuti Valachiæ & Moldaviæ Principes, arma & vires conjunxit. Erat tum exercitui Cæſareo ſummo cum Imperio præpoſitus Carolus Mansfeldius, recenter titulo Principis à Cæſare ornatus, qui in finibus Auſtriæ contractis copijs, quarum ſumma militum millia ſexaginta excedere ferebatur, & diſciplinâ militari bene ſtabilitâ in Hungariam movit, itérq; ambiguum, quò minùs, quam in partem bellum facturus eſſet, hoſtes ſcire aut explorare poſſent, diu traxit, ac tandem Strigonium, nec opinantibus hoſtibus, obſidione cinxit, Baſſamquè Budenſem, qui cum triginta millibus ad ferendum obſeſſis auxilium veniebat, inſigni ac verè memorabili clade, quâ cæſa aut capta ad quatuordecim millia hoſtium, affecit, fugavitq;. Sed brevì poſt morbo correptus, fato conceſſit : Princeps aliàs longiore vitâ dignus,

dignus, si fata indulgere voluissent. Posthac obsessi, capto oppido, & cæso iterum Basâ Budensi cum alijs auxiliatoribus, duobúsq; Præfectis, Ali Bego, & Janizarorum Agâ amissis, dedere se, arcémq; coacti sunt.

Occupato Strigonio, arx Vissegradensis in præalto monte ad Danubium sita, tentatur & capitur. Circa illud tempus Georgius Comes Zrinius Nicolai Sighetanâ obsidione clari filius, vir & ipse summæ virtutis & fortitudinis, cum Herbersteinio Babotiam, inter Canisam & Sigethum ad Dravum flumen sitam, occupat : item Petriniam, Rastoviciam, & Goram. Deniq; tantus tum per universam Hungariam Turcarum animos timor invaserat, ut quæ olim maximis laboribus multóq; sanguine expugnaverant, turpissimè etiam, ne viso quidem interdum hoste, deseruerint. Intereà Synan Bassa Valachiam ingressus, primo quidem impetu oppida aliqua cepit, & diripuit; sed brevi pòst à Michaële Veivoda prælio victus, turpi fugâ vitæ suæ consulere debuit, quo in fugæ tumultu in quodam ponte, quem à Valachis ruptum Turcæ subitaneo opere restau-

restauraverant, in paludem delapsum, & equi colluctatione, præter vestes & ora fœdè maculatum, duobus etiam excussis dentibus, vix à suis periculo ereptum fuisse ferunt. Accessit deinde Michaëli in succursum, pro eo ac juxta pacta debebat, Transylvanus, cum viginti millibus equitum hastatorum, & triginta duobus millibus peditum, qui expugnatâ Tergovistâ, & Aly Bassâ Trapezuntino capto, iterum Synanem in fugam egit multò deteriorem ad Danubium usque, quem noctis beneficio scaphâ vix transnatari licuit. Denique tertiò rursum turpissimè fugit, Byzantiúmq; reversus, seu morte ac senio confectus, seu dolore rei malè infelicitérq; gestæ, migravit è vivis.

Ad initium Anni 1596. Mahomet habito cum suis consilio in Divano publicè purpuratis suis & Janiczarorum Tribunis pollicitus est, se æstate proximâ in Pannoniam cum exercitu iturum: proinde ut hujus futuræ expeditionis memores, sese ad castra & bellum pararent, seriò edixit. Collectis deinde ad ducenta armatorum millia copijs, movit in Hungariam, & Agriam obsedit,

quam

quam poſt acerrimas impreſſiones & oppugnationes, tribus ferè ſeptimanis diu noctúq; factas, turpi deditione Vallonum & Germanorum peditum, fruſtra reclamantibus Guilhelmo Trczkio, & Joanne VVchynsky, Bohemis, aliisq; Præfectis, & poſitis etiam genibus ad conſtantiam exhortantibus (cùm jam Maximilianus Archidux magno cum exercitu appropinquaret, & ut certò referebatur, intra biduum, aut triduum Mahometes obſidionem ſoluturus erat) traditam accepit. Cautum erat in deditionis legibus, ut Præfecti vivi commutandis captivis traderentur, præſidiarij verò cum impedimentis omnibus, gladijs tantùm armati, diſcederent; ſed non ſervavit illud Tyrannus: mox enim præſidiarios arce egreſſos, omnes in latiſſimo quodam campo crudelem in modum concidi juſſit; Duces primis diebus comiter aliquantùm habiti, poſteà verò compedibus vincti, Belgradúmq; ducti fuêre. Ex ijs Trczka & Johan. Jacobus Comes Turrianus, ſqualore carceris ad morbum accedente, brevì vitam finierunt: VVchinsky verò & Barcianus, è turri Belgradenſi Neboi-

zana,

zana, poſtliminiò domum redierunt. Captâ Agriâ, vicinas etiam arces, diffugientibus præſidiarijs, Turcæ nullo negotio occupârunt.

Ad Maximilianum cùm fama amiſſæ Agriæ perlata eſſet, aliquid in recuperanda illa experiri decrevit, initóq; conſilio cum Sigiſmundo Tranſylvaniæ Principe, mox copias omnes, quarum ſumma in unum collata, triginta quinq; millia equitum, peditúmque effecerat, ad Kereſthium movit, ubi poſitis in conſpectu Turcarum caſtris, primò excurſionibus & velitationibus, deinde juſto prælio rem aggreſſus eſt; quo etſi noſtri magno impetu in Turcarum cuneos irruentes, diſiectis ordinibus aciem eorum perruperint, fugientibúsq; (ipſo etiam Mahomete) machinas eripuerint, quia tamen prædæ magis quàm curſui victoriæ continuando intenti fuerant, Turcæ recollectis viribus in eos palabundos impetum fecerunt, & prædâ graves facilè oppreſſerunt, atq; ita pulcherrimam ex ipſorum manibus victoriam extorſerunt. Sex millia ex noſtris eo in prælio perijſſe dicebantur, inter quos non pauci clari Nominis Præfecti, fra-

fratres duo, Erneſtus & Auguſtus Holſatiæ Duces, VVenceslaus Popelius Baro Bohemus, cum Joanne Pietipesky, Sebaſtianus Fargacz, Stephanus Eſterhaſi, &c. ex hoſtium numero viginti millia promptiſſimorum occubuiſſe fama fuit. Hâc partâ victoriâ Mahometes Belgradum venit, nec ibi diu moratus, Byzantium ad hyberna conceſſit.

Vere proximè ſequente, Maximilianus Archidux bellum adversùs Turcas redintegrat, Tatam beneficio Petardæ, inſtrumenti bellici ceu tormenti, occupat, ac brevi pòſt etiam Papam, ubi in cæſorum Turcarum ſtomachis aurei inveniebantur. Deinde Jaurini oppugnationem aggreditur: ſed vano conatu, & amiſſis duobus præcipui nominis Præfectis, Joanne à Pernſtein, & Rudolpho ſeniore VVchinsky; quorum ille, dum aggeres & tormenta inviſurus equum conſcendere vellet, ac nonnihil incautiùs cunctaretur, ab hoſtibus è propugnaculo in eum veluti ſcopum collineantibus, deſtinato prægrandis pilæ ferreæ ictu protinus diſcerptus interijt: hic verò in ſuo tentorio eâdem die, nempe tertio Calend. Octobr. pilâ quoq; ingenti

in incertum emiſsâ peccuſſus in veſtigio expiravit. Quo tempore, cùm Rex Perſarum ob mortem Heidaris pueri, à Perſis pro obſide Turcis dati, qui incertùm morbo, an veneno extinctus fuerat, novum adversùs Turcas bellum moliri nunciaretur : Mahometes non auſus abeſſe procul domo, Baſſam Satergim cum nonnullis tantùm ex Boſna & Illyrio contractis copijs, in Hungariam miſit, qui Tatam, Vaciámq; recepit. Aggreſſus fuit & caſtra noſtrorum, non procul à Vacia, ſed cum ſuorum inſigni clade.

Anno 1598. die 29. Martij, Jaurinum Turcis ereptum ab Adolpho Comite à Schwarczenberg, Avo moderni Joannis Adolphi Comitis à Schwarczenberg, aurei Velleris Equitis, Sac: Cæſ: Maj: Conſiliarij, & quondam Leopoldi VVilhelmi Archiducis Supremi Aulæ Præfecti, &c. & idcirco viro æternâ memoriâ digno, tali ſtratagemate : primò ſubordinatis quinque Huſaris Turcicæ linguæ peritis, qui de commeatibus, qui apportarenturBudâ,ſe nuncium adferre, & ad ſponſam Aronis Agæ Budenſis literas quoq; , & alia nonnulla habere, di-
cerent,

cerent, pons demitti pro invehendo illo commeatu rogatur : quo ſine doli ſuſpicione per excubitores facto, noſtri applicuerunt, clarâ aliàs nocte, ſed tamen (ſuperis ita faventibus) nebulâ mox devolutâ, quæ ita Cœlum texit, ut custodibus in muro ſtantibus, penè omnem earum rerum quæ infra gererentur proſpectum, ademerit : acceſſit quoq; vis magna perſtrepentis venti. Admota deinde ad portam interiorem (exterior enim, quod clauſa quidem, ſed non ſerâ, neq; repagulo obſtructa fuiſſet, ad primam manum noſtrorum patuit) Petarda : cujus impulſu, ruptis intus vectibus, tota quanta diſſiluit. Mox effuſi noſtri, quorum erant quinque millia in urbem, obvios quosq; ſternunt, atque ita ſpatio quinque horarum, cœſis mille quadringentis hoſtibus, & ducentis captis, eam occupant. Hunc in modum admirabili DEI beneficio Jaurinum manibus Chriſtianorum reſtitutum eſt, non toto quadriennio à Turcis poſſeſſum. Sed nec noſtris incruenta victoria ceſsit, cùm præter ſauciatorum numerum, quingentos & ampliùs deſideratos fuiſſe ſatis conſtitiſſet. Schwarczenbergo donativij

data

data centum millia aureorum, & oppidum Hustopecium in Moravia.

Famâ tantæ támq; insperatæ victoriæ divulgatâ, ut nostrorum animos erexit, ita Turcas vehementer terruit debilitavitque. Adultâ æstate nostri denuò Tatam è Turcarum potestate extorserunt, ac brevi pòst, Vesprinium, Sambucum, Palottam, aliáq; castella.

Sed optimum hunc victoriarum cursum interturbârunt Sigismundi Transylvaniæ præcipitata consilia. Is paulò antè, spe fortasse tranquillioris vitæ ductus, Cæsari totam Transylvaniam cessit, certâ desuper transactione factâ, & Ducatibus Oppoliensi & Ratiboriensi in Silesia acceptatis. Cùm autem non multò pòst Oppoliensis Sedes, uti Transylvaniæ impar & inops, illi sorderet, à nonnullis etiam Transylvanis incitatus, relictâ Silesiâ Transylvaniam quàm occultissimè repetijt, & Stephano Botscajo duce Principatum sibi iterum vendicavit. Et hæc semina fuerunt gravissimi belli, quod posteà Christianorum vires nimiùm distraxit, & Turcis interea magnam attulit securitatem. Autumni tempore, Omar Bassa Chanadio, Arado & Na-

& Naglaw occupatis, Varadinum magnum obſedit: noſtri verò aggreſſi Budam, non tantùm eodem tempore, ſed ipsâ fermè ejuſdem diei horâ, & quod memoratu dignum eſt, poſt irritos triginta dierum conatus, utraq; iterum caſtra, tanto diſſita intervallo, eodem die rebus infectis fuêre ſoluta. Præerat Varadino Melchior Rederus Sileſius, vir imperterriti cordis, qui excellenter cum æterna ſui nominis laude munus ſuum adimplevit. Cùm deinde inter Perſas & Turcas recruduiſſet bellum, Mahomet ad pacem cum Cæſare faciendam animum applicuit, deditque Ibrahimo Baſſarum Principi, ſuæq; ſororis marito, quem in initio æſtatis, Anno 1599. in Hungariam cum exercitu miſerat, mandatum, ut animos noſtrorum ea in re pertentaret: ſed quia in conventu poſteà habito, à neutra parte tolerabiles ſatìs conditiones proponebantur, Turcis Strigonium, Filecum & Jaurinum, noſtris verò Agriam & Hatvanum ſibi reddi petentibus, pax confici non potuit.

Mox Ibrahim exercitum omnem, unà cum auxiliaribus Tartarorum copijs, trajecto Grano, ad ſubjectos Strigonio

campos duxit, ac inde validam Tartarorum manum ad utramq; Vagi ripam vaſtandam emiſit. Ipſe facto inter Novam Arcem & Levam itinere, populando ubiq; & urendo, ad oppidum Irmelium haud procul Nitrâ caſtra metatus eſt. Tota illa regio à Novogrado Trnaviam versùs, illinc verò uſq; ad Bezconem & Trenczinium, ipſósq; Moraviæ fines, crudeliter flammâ ac ferro pervaſtata erat, incolis partim cœſis, partim in ſervitutem abductis. Noſtri è caſtris ad Jaurinum poſitis, fumantia procul tectorum culmina, & ignes longè latéq; collucentes, fruſtra proſpiciebant. Adultiore autumno Ibrahim Peſthum versûs movit, diviſaq; prædâ, & captivis decumatis, copias in hyberna dimiſit : ipſe verò Belgradum conceſsit.

Sequenti anno repetitâ expeditione in Hungariam, trajectóq; ad Eſecum Dravo, Babociam noſtrorum ignaviâ deditam occupavit, ac poſteà Caniſam obſedit. Erat tunc Cæſarei exercitûs ſummus Dux Mercurianus, è Regia Galliæ Regum familiâ Valdemontiâ oriundus, qui obſeſſis ſuccurrere volens, cum

XXV. millibus adversùs hostes movit: quo intellecto ejus adventu Ibrahim, relictâ oppugnatione obviam illi profectus est, & colle quodam occupato, ipsius adventum præstolabatur. Sed cùm nostri, potissimùm Tilliani & Colonitschij, acri in ejus equitatum impetu irrupissent, ac nonnullos trucidâssent, relictis potestati nostrorum aliquot tormentis, sese in castra recepit, quibus se eâ nocte totâ, usq; ad meridiem sequentis diei continuit. Certatum deinde per aliquot dies, variâ utrinq; fortunâ, Turcis tamen magis semper adversa, sic ut octo circiter millia hostium, inter quæ erat mille Janiczerorum, desiderarentur.

Ultimò tamen nostri, cùm eos summa rei frumentariæ inopia premeret, coacti exercitum reducunt: Ibrahim verò instauratis viribus oppugnationi Canisæ insistens, eam tandem per ultroneam deditionem cepit: Paradysius enim, qui civitati præfuit, discessu nostrorum exterritus, mox octavo post eorū discessum die, cum Ibrahimo de deditione transegit.

Ita ergo, die 22. Octobris, locus totius Styriæ munitissimus in Turcarum

devenit poteſtatem; præſidiarij cum ſuis fortunis dimiſſi, & ad Muram uſq; fluvium incolumes perducti : Paradyſius autem non diu pòſt, nimis intempeſtivæ deditionis reus convictus, cum quibusdam ſocijs, juſſu Cæſaris capite pœnas perſolvit. Interea in Aſia Perſarum Rex Abaſus, bellum proſpero ſucceſſu adversùs Turcas egit, recuperatâ Provinciâ Siruanâ à Solymano olim adempta. Miſit quoq; Legatum ſuum ad Cæſarem, ſummis precibus orans, ut bellum in Turcas ſuſceptum continuare vellet. Unde Ibrahim denuò induciarum mentionem fecit : accidit autem, quòd intra eum diem, qui colloquio de conditionibus pacis deſtinatus erat, Ibrahim peſtilentiâ correptus, Belgradi è vivis excederet.

Sublatâ ſpe induciarum, cùm Cæſari auxiliares copiæ ex Italia & Hiſpania advenissent, Caniſæ & Albæ Regalis oppugnatio inſtituitur : & ut noſtri nihil, quod ad oppugnationem, ita Turcæ nihil, quod ad ſui defenſionem pertinebat, omiſerunt. Caniſæ obſidio cœpta ab initio Septembris, durabat ad diem 18. Novembris, cum ingenti Italorum clade;

de ; ultimò enim gravissimis cœli tempestatibus exagitati obsidionem solvere, ita tamen ut fugæ speciem recessus ille haberet, coacti fuerant, relictis quàm plurimis impedimentis, armis & commeatu. Melior fuit eorum, qui Albam Regalem obsederant, fortuna : undecimâ enim obsidionis die, non tantùm de urbe capta, sed de cœsis quoq; ad quinq; millia Turcis, qui duce Hasane Basśâ obsessis in auxilium serò nimis venerant, feliciter triumphârunt. Quamvìs brevì iterum urbs illa, nondum expleto à Christianis in ejus possessione integri anni spatio, barbaris cesserit, die 29. Mensis Sextilis, qui Divo Joanni Baptistæ decollato sacer est, ac ipsis, cùm alijs, tum victoriâ Mohaczianâ faustus felixque. E contra nostri Pesthum è regione Budæ positum, acerrimo impetu aggressi capiunt, quo in potestatem redacto, Budam ipsam oppugnatione aggrediuntur, sed fugati ab Hasane, re infectâ inde discedere coguntur.

Anni sequentis, sc: 1603. initium multiplici hostium excursione, ac infestis populationibus insigne fuit : nam Tartari magnâ manu collectâ, primò

pagos circa oppidum Papam, deinde regionem circa Muram fluvium, flammâ ac ferro impunè vestavêre, abductis in servitutem quàm plurimis colonis. Postremò adscitis in societatem Turcis, ita ut ad 16000. equitum constituerent, in Valeriam progressi, omnem illum tractum, qui secundùm Dravi citeriorem ripam à Caproniza sursum ad Vinicam usq; protenditur, crudeliter depopulati sunt, nostris, quos habuerunt obvios, partim cœsis, partim captis.

Post hæc sequuti fuêre in Transylvania rebellium motus: nonnulli enim potentiores ex incolis, novâ factâ conspiratione à Cæsare defecerunt, Moysémq; Siculum sibi in Principem elegerunt, qui ut rem suam eò potentiùs adversus Cæsarem stabiliret, Turcarum Principi se subdidit, à quo etiam clavam, acinacem & vexillum, missa quasi Imperij insignia, accepit. Unde ab eo tempore, Turcæ sibi jus in Transylvaniam vendicant. Brevì tamen hæc nefaria conspiratio suum sortita est finem, operâ Raduli VValachorum Ducis, qui primò, quasi viribus suis diffisus, Moysi & auxiliatoribus ejus Turcis atq; Tartaris castris suis cessit,

quæ

quæ cùm illi ſtatim occupâſſent, & in ijs ſecurè agerent, ille multò cum majoribus copijs nihil tale metuentes, & ſemiſopitos nocte intempeſtâ oppreſſit. Turcæ & Tartari tam ſubito pavore perculſi, relictis caſtris & impedimentis in præcipitem fugam acti ſunt, Dúxq; illorum Bectes Baſſa, abjectâ purpurâ ac Tygridis exuvijs, & vili penulâ ſumptâ vix evaſit: Moyſes verò pugnando à VValachis interfectus eſt, cujus caput humeris abſciſſum, Coronoſtadij publicè omnibus ad terrorem ſpectaculo eſt propoſitum.

Conabatur deinde Bectes collectis reliquijs fugati exercitus reſumere vires, & Tranſylvaniam Imperio Ottomanico ſubdere; ſed cæſus iterum gravi prælio à Comite Dampirio & Ragocio, fugâ ſecundò ſalutem quærere debuit.

In Hungaria quoq; noſtri inſignem victoriam de Murathe Baſſa Budinenſi, inito cum illo inter Budam & Vaciam prælio, obtinuerunt, die 29. Septembris, adeò ut in univerſum circiter ſeptem millia hoſtium cecidiſſe memorentur; inter quos Belgradenſis & Samandrianus Præfecti, ac ex Janiczaris mille quingenti, præter eos qui aquis hauſti ſunt, Mu-

rathe & Hasane Bassis vix se è Nadazdianorum manibus eripientibus. Posteà victor exercitus Hatvanum movit, illúdque deditione occupavit. Eodem tempore in Illyrico, Sigismundus Trauttmanstorffius, militum ejus regionis præfectus, cum Nicolao Zrinio Georgij filio Turcas itidem non mediocri clade affecit, ponte magni operis ad Camescinum exusto, & castellis nonnullis, ad Dravum infra Baboçziam sitis, expugnatis.

Anno 1 6 0 4. die 24. Januarij, Mahomet Turcarum Imperator ejus nominis tertius, in ipso ætatis flore è vivis excessit, statimq; in ejus locum & solium Achmet major natu Byzantij Princeps est declaratus: qui cùm nondum per ætatem liberis procreandis operam dare posset, & aliàs apud Turcas mos esset, primogenito fratrum Imperium auspicante, minoribus natu fauces laqueo elidi, decrevêre purpurati ejus fratrem Musthapham (aliquibus Bajazetem) septimum agentem annum interea educandum esse, donec ille hæredis masculi Pater efficeretur.

Post Mahometis obitum, iterum fuit actum de bello sedando, Turcis ipsis, qui

qui in Asia à Persis, & in Affrica à Rege Mauritaniæ & Hispanis bello acri premebantur, pacem offerentibus; quia tamen, ut antè, Strigonium & Jaurinum repetebant, Transylvaniam quoque & Pesthum, pro his Agriam & Canisam, tantùm nostris reddituri, re infectâ utrinq; discessum est. Non multò post Pragam ad Cæsarem venit alius à Rege Persarum Legatus, à Cæsare petens, ne pacem cum Turcis faceret, sed bello continuo eos persequeretur, exemplo sui Regis, qui jam ab ijs Vanum, Taurisium & Revanum, ac alia quædam loca magni momenti, amplásq; Regiones, partim vi, partim deditione extorsisset.

Interea Vezir Bassa Hasanes, cum sexaginta millibus armatorum Belgrado movit in Hungariam, Pesthóq; & Hatvano recepto, quæ metu periculi temerè deseruerant nostri, Strigonium obsedit; verùm Basta, exercitûs Cæsarei summus Dux, quotidianis cladibus ita Turcas afflixit, ut Hasanes post mensem, spe suâ delusus, recedere in hyberna coactus fuerit.

Erant tunc vires Turcarum in Hungaria tenues valdè, sed per subsequentes

turbulentos & perniciosos motus, quos Stephanus Botscajus, religione hæreticus, ijsdem ferè diebus, quibus Strigonij obsidio soluta est, concitavit, excreverunt denuò in immensum. Conflârat is è seditiosis quibusq; magnam manum, jussîtq; publicè proclamari, nullam aliam ob causam bellum à se susceptum, quàm Religionis, contra Barbianum Cæsaris in Transylvania Ministrum, Religionem omnem, quæcunq; Pontificia non sit, opprimentem : (ita sub prætextu sanctissimi operis nonnunquam maximè nefarij conatus velantur.) Quâ viâ, dici non potest, quàm brevi tempore hæc pestis non Transylvaniam tantùm, sed etiam Hungariam pervaserit, adeò ut copiâ militum fretus Botscajus, palàm jam Transylvaniæ Principatum, cujus à Turcis quoq; facta ipsi spes erat, affectaret. Quare accepto à Turcis & Tartaris auxilio, & omnibus ferè tam Heydonibus, quàm etiam Viris illustrioribus ad eum confluentibus, Barbianum & Peczium prælio aggreditur, fundit, & hunc quidem graviter læsum capit, illum verò cum Dampiero Transylvaniâ eijcit : obtinuisétq; tum

statim

ſtatim Tranſylvaniam totam, ni Baſta citò ex Hungaria cum valido exercitu ſuccurriſſet, qui aliquantùm inſolentiam ipſius repreſſit : quod factum ad finem anni 1604.

Initio anni ſequentis, cùm & Huſari (equites Hungari) ad Botſcajum defeciſſent, & loca plurima in Hungaria, aliqua ſponte, aliqua metu deveniſſent in ejus poteſtatem, in tantum potentia crevit, ut in publicis Comitijs Serencij habitis, Princeps Tranſylvaniæ ſit ſalutatus: ac id ipſum à Chauſio nomine Turcarum Principis, præſumptione quâdam, traditâ ei clavâ, enſe & vexillo, protinùs confirmatum.

Occupatâ deinde Caſſoviâ, Fileciâ, Neoſolio, aliîſque plurimis oppidis & caſtellis, noſtris verò ad Poſonium uſq; cedentibus, majora in dies ſumebat incrementa. Tandem Trnaviâ quoq; ſibi deditâ, Denghelegium cum octo millibus Haydonum & Turcarum ad populandam Moraviam, facto per montem quem Album vocant itinere, miſit: qui Provinciam longè latéq; populati, cùm redeuntes onuſtique prædâ in Moravorum terreſtres copias, quas VVilhel-

 mus

mus Popelius, & Georgius Hodicius du-ctabant, non procul Sacolciâ incidissent, acre cum eis iniêre certamen, quo u-trinq; multi, plures tamen ex hostibus, ceciderunt. Neque cessabant deinceps Moravis infesti esse duce eodem Hey-dones & Turcæ, sed Bectaso Bassâ Bu-densi instigante, denuò Moraviam vasta-bundi ingressi sunt, & ad Brunam usq; & ultra pandebantur impunè, rapinis & cœdibus sanguinéq; & incendijs omnia fœdissimè permiscentes. Ex qua in eum modum horribiliter defœdata, ultra quatuor hominum millia in miserrimam servitutem abduxerunt. Brevi tamen idem Bectes à nostris ex insidijs interfe-ctus est: cujus interitus multùm incom-modavit rebus Turcarum; erat enim homo versutissimus, rerúmq; Hungari-carum valdè peritus, ac præcipuus mo-tuum recentium auctor. Nec verò Hun-gariæ & Moraviæ finibus tanta se cala-mitas continuit, sed proximas quoque trans-Danubianas regiones est perva-gata, Matthiâ Somogio in Austria, & Gregorio Nemethio circa Arrabonem & Leitam flumina, postea etiam in Sty-ria, ac denuò in Austria flammâ ferróq; gras-

grassantibus, abducentibúsq; ingentem populorum utriusq; sexûs numerum. Et quod fœdi res exempli est, tanta Haydonum Hungarorúmque rebellium fuit feritas, ut Christianos homines aliqui etiam propinquitate & sanguine sibi junctos, captivarent, & barbaris præsenti pecuniâ pretióque divenderent. Contigit autem cuipiam Haydoni Christianos vendenti pueros, ex auro à Tartaris numerato cruorem manâsse, quo impiæ manus abominandi hominis macularentur. Sopronium tunc ab Adamo Trauttmanstorffio, & Christophoro Puchaimio egregiè tutatum est.

Intereà Vezir Bassa Mehmet hâc dissidentium Hungarorum occasione arreptâ, Strigonium obsidione cinxit, summîsq; viribus oppugnatum ad deditionem coëgit, Hungaris serò deplorantibus infidam hanc cumTurcis societatem. Posteà quoque Novarum arcium munimentum Botscajo cessit. His ita peractis, Botscajus vocatus à Vezirio Budam profectus est, ubi illum Vezirius nomine Achmetis sui Principis Regem Hungariæ appellavit, móxq; jussit proferri coronam & alia ornamenta; ac

primò enſe auro & gemmis ornato, latus ei ipſemet cinxit, deindè coronam capiti impoſuit. Ea eſſe dicitur rudioris operis, intus quidem lignea, at supernè laminis aureis tecta, & lapillis obſoletum in morem inditis elaborata, quam etſi dicant Turcæ fuiſſe Diadema Imperatorum Græcorum, aut Deſpotarum Thraciæ, incertum tamen eſt, quænam & unde ſumpta ſit. Multis adſtantibus ex Hungaris diſplicuit hæc profana, adulterina, ne dicam iniqua coronationis ſolennitas; neque adeò ſibi placere monſtravit Botſcajus, qui coronam illam loco muneris, non ad uſum aut regiæ dignitatis ſignum accepit, móxque illam Georgio Secio ſervandam tradidit, inquiens, non poſſe alterum Regem Hungariæ eſſe, quàm diu prior ritè coronatus in vivis ſuperſit. Actum deinde erat ſeriò de pace, quâ Viennæ concluſâ cum Botſcajo & Hungaris, & tabulis deſuper confectis, ſubſcriptisq;, ſequutum quoq; eſt fœdus cum Turcis ad annos viginti, à Calendis Januarijs anni 1 6 0 7. inchoando, percuſſum. Non multò poſt Botſcajus lento & tabifico hydrope extinctus eſt, cùm quinquageſimum ætatis
annum

annum excessisset, nullo hærede relicto: quo mortuo, Sigismundus Ragocius à Transylvanis Princeps renunciatur. Pace confectâ, ingens passim lætitia, non solùm apud Christianos, sed & Turcas belli jam pertæsos, crebrâ tormentorum displosione perceptum inde gaudium prodidit; Achmet verò de pace certior factus, cum Purpuratis Prætorianîsque omnibus Constantinopoli templum ingressus, Deo & Mahometi suo solemnes gratias egit, diémq; sequentem magna cum festivitate traduxit, deinde totam belli vim adversùs Persas convertit. Rex enim Persarum, exercitu Turcarum in finibus Babylonicis dissipato, & duobus propugnaculis expugnatis, mirum in modum vires suas per Asiam dilatavit: & quamvis Achmet pacem cum illo quoq; facere Chami Tartarici operâ interveniente, constituerit, proficere tamen nihil potuit, ex eo, quòd occupatas hactenus Provincias, unà cum Taurisio civitate, à Persa sibi restitui voluerit, quod ipse facere omninò recusavit, armatâ sese manu, quæ jam possideret, obtinuisse, & ex parte ad se anteà pertinuisse dictitans. Et tunc in Asia quoq;

minore & Syria novi extitêre adversùs Imperium Ottomanicum motus, adeò ut Alepienſis Præfectus, commiſſo cruento prælio cum Vezirio Baſſa, ad quinquaginta millia ipſi proſtrârit, amiſſis quoq; viginti millibus ex ſuis. In Caramania ſimiliter à paucis rebellibus per inſidias fuit circumventus, fusúsq; inſignis Turcarum exercitus; unde non ſine cauſa Turcæ tantoperè lætabantur de pace cum Cæſare facta.

Quia tamen ſunt genus hominum ut plurimùm fluxæ fidei, ubi tantùm occaſionem augendæ ſuæ potentiæ vident, mox ſciſſis etiam fœderibus pacta pacis tranſilire non erubeſcunt, ita evenit Anno à transactione facta, necdum planè ſexto, quòd compoſitis in Aſia rebus, audito quoque inter Cæſarem Rudolphum & fratrem ejus Matthiam Hungariæ Regem, diſſidio, nihil magis egerint, tum fraude & aſtu, tum apertâ vi fines Regni excurſionibus pervaſtando, caſtella hoſtiliter etiam admotis tormentis tentando, quàm, ut pacta pacis in caſſum abirent, violarentúrque. Etſi autem poſteà Rudolpho Cæſare fato functo, & Matthiâ in Cæſarem electo modicùm

qui-

quievissent, rursus tamen anno post electionem Cæsaris sequente, turbulenta agitabant consilia : quem in finem Achmet ingentem frumenti copiam per totam Hungariam jussit ab agricolis exigi & convehi, fortalitiorum mœnia restaurari, tormentorum machinis alióq; apparatu bellico instrui, ac præsidijs firmari : insuper multa novorum Turcarum & Tartarorum millia in regionem induxit ; quæ omnia reddebant nostris suspectam ejus fidem : & magis adhuc, cùm per Chausum primò, deinde per Bassam quendam absolutâ declaratione Matthiæ significâsset, ne ulterius quidpiam de Transylvania cogitaret, sibi eam relinqueret, veluti propriam ac hæreditariam titulo belli à majoribus acquisitam, suúmq; peculium.

Sed nostrâ fortunâ consurrexerunt iterum adversùs illum novi in Asia motus : quare à bello Hungariæ inferendo, quod jam manifestè contra fas & æquum meditabatur, conatum avertere, & continuationem ictæ pacis ipsemet ambire coactus est. Restabat solùm conditio quædam de pagis dedititijs, quam Legatus ipsius apud Cæsarem sæpiùs ursit ; eâ igitur

igitur complanatâ, elapſis jam tunc decem à priori pacis tempore annis, ad alios viginti annos fœdus extenſum eſt. Quod quàm opportunè tum factum, paulò poſt palàm omnibus fuit: quandoquidem brevi ſubſequuto tempore, graviſſimis ſeditionum procellis agitata Bohemia, à fide & Majeſtate Cæſaris, ſumptis adversùs eum armis, deſcivit. Atq; etiam Hungariæ & Germaniæ populos, eadem ſeditionis rabies, ac dira rerum novarum cupido invaſit. Non multò poſt inducias pactas confirmatásque Achmet moritur: quo extincto purpurati rejecerunt à ſucceſſione Imperij Muſtapham fratrem ejus ob ingenij imbecillitatem, prætulerúntq; illi Oſmanem impuberem Achmetis primogenitum filium, cujus ut eò tranquillius eſſet regimen, Muſtapham morti deſtinârunt, quam tamen ille Matris ſuæ præſtigijs evaſit: reliquos autem Achmetis filios, Amurathem & Ibrahimum, eo fine quo antea Muſtapham, educandos curârunt: uſq; dum Oſmanes gauderet maſculâ prole. Cùm autem novus Imperator tanto Regno adminiſtrando propter juveniles annos aptus non eſſet: illud à pur-

purpuratis, quorum Princeps Aly Bassa evaserat, aliquandiu gubernatum est.

Exortis in Bohemia & Austria contra Ferdinandum II. turbis, cùm & Bethlenius Gabor Transylvaniæ Dux, occupato Regno Hungariæ, cujus se Principē, mox & Regem constituit, in societatē armorum pellectus esset, Osmanes, qui tunc rectè gubernacula Imperij Ottomanici suscepit, ratus, quòd eâ occasione rem suam in finitimis partibus Hungariæ augere poterit, præcipuum quendam Janiczarorū Tribunū, seu Agam, Mechmetē nomine, ad Fridericum Palatinum à Bohemis in Regem assumptum misit, declarando se paratum ad auxiliares copias ei ferendas, modò ad se Legatos mittat. Aga emenso celeriter itinere, cùm Pragā ad initiū Julij venisset, exceptus est à primarijs Friderici Ministris honorificè, & mox die tertiâ, quæ fuit 5. Julij, in Arce Pragensi præsente Friderico auditus.

Quia verò jam antea publicis Comitijs mense Majo habitis, erat decisum, & Confœderatione Statuum Regni Bohemiæ cum Statibus Regni Hungariæ & Bethlenio initâ cautum, ut Legati ad portam Ottomanicam quantocyùs mitterentur,

rentur, Agâ isto superveniente, magis hoc ratum fixúmq; redditum est. Haud multò post tempore ministris Friderici consulentibus, Anhaltino potissimùm, summâ quâ pollebat auctoritate, satagente, Aga muneribus magni pretij donatus, ac pridie antè à Comite Turriano rebellionis Principe solemni epulo exceptus, domum remittitur cum literis à Friderico latino idiomate ad Osmanem 12. Julij datis, quibus magno animi affectu gratias illi egit, pro auxilio sibi adversus Ferdinandum promisso, séque, & salutem suam, fortunásq; omnes commendando: addidit, brevi se missurum Legatos, qui de ea amicitia stabilienda, de tributo, & de pretiosis muneribus singulis annis ad Portam ejus transmittendis, convenirent: atque itá vectigale seu tributarium Turcæ Regnum subdere conabatur, non sine merita suggillatione nominis sui & totius Bohemæ gentis, ut tantùm illud temerè nimis acceptatum, contra imminentes adversarios, & æmulos retinere posset: præsagiebat fortasse animo, se aliàs vix retenturum. Quod & factum: nam quarto posteà Mense gravi prælio in Albo monte ad Pragam

Pragam cœsus, non tantùm Regno fugatus, sed è Palatinatu quoq; ac tota Germania ejectus est; Princeps aliàs, si sibi potiùs, quàm alienis consilijs deditus fuisset, non malus. Et sic etiam acta cum Turcis pacta abiêre in cassum.

Per idem tempus Turcæ Tartaris juncti magnâ clade affecerunt Polonos; cùm enim Gratiano Moldaviæ Principi in auxilium venissent, repentè ruptâ cum Turcis pace, totam belli molem in se derivârunt. Dux Polonicæ militiæ Stanislaus Zolkevius numero ac viribus hostium victus, dum regressum in Poloniam meditatur, haud procul Tyrâ fluvio, qui Russiæ limes est, funditur fugatúrq;, paucis admodum fugâ elapsis. Zolkevij caput à cervicibus recisum, & hastili oblongo infixum ante prætorium Vezirij Bassæ, ac dein Constantinopoli publico spectaculo fuit. Eâ victoriâ Osmanes adeò elatus fuit, ut relictâ Persis Babylone, vires omnes ad bellum Polonicum contraheret; mox etiam publicato edicto, totius Thraciæ & Illyrij copias, primo vere ad limites Poloniæ præsto esse jussit. Ipse deinde præeunte equitatu Asiatico, cum Prætoranis seu Janiczeris,

quorum

quorum tunc ferebatur esse circiter quadraginta millia, Byzantio movit, & trajecto Istro, ad Tyram cum exercitu trecentorum millium armatorum contra Polonos, qui ad arcem Chocimum castra locârunt, & sexaginta millibus plures non erant, consedit. Ibi per aliquot dies velitationes utrinque vario eventu actæ sunt, Polonis in apertam aciem prodire nolentibus: tandem Osmanes moræ impatiens castra illorum acerrimâ oppugnatione aggressus est, sæpiùs iterato, semper tamen irrito, conatu.

Postremò, cùm & Cameniciam & Panovicium frustra tentâsset, & hyems aspera appropinquaret, belli hujus pertæsus, conditiones pacis à Stanislao Lubomirio exercitûs Polonici Duce oblatas, acceptavit, & remensus Istrum cum copijs suis, laboribus, vigilijs, inediâ, cœli injurijs, continuis imbribus, ac rerum inopiâ lassis, fatigatisq;, & vix non enectis, per Bulgariam & Thraciam Byzantium inglorius est reversus. Ad sexaginta millia Turcarum periêre expeditione istâ; è Polonis verò plures pestis quàm gladius consumpsit. Hæc facta Anno 1621. in Septembri & Octobri.

Ut autem erat prima, sic minùs secunda hæc Osmani expeditio : ne tamen duceretur sibi malo omini, totam hanc cladem Janiczarorum ignaviæ imputabat, quos idcirco velut protervos, & ad obtemperandum persæpè difficiles duræque cervicis, statuit è medio tollere, & legere in eorum locum novos ex Arabibus, quorum isto bello fortitudinem promptitudinémq; probaverat. Anno igitur sequente, indicit in mensem Majum profectionem in Syriam, simulatâ Religione visitandi sepulchrum Mahometis Prophetæ ipsorum; quò meliùs ac citra tumultum res succedat, jubétque Janiczaros suos, sine quorum comitatu Imperator nunquam proficiscitur, ad iter esse expeditos. Jamq; dies profectioni destinata appropinquârat, dum Janiczari longi itineris laborem detestati, tum veriti, id quod res erat, ne Osmanes se viæ istius incommodis exhaustos, ad extremum perniciei daret, primò supplices Præfectos suos adeunt, rogántq;, ut Imperatorem à tali consilio averterent. Cúmq; nihil proficerent, viginti quatuor eorum millia, Palatium circumsident, ac denuò Mu-

phtium,

phtium, Sacrorum Turcicorum ſupremum Antiſtitem, & Dilaverium Vezirium, qui ultima ſua poſtulata Imperatori deferant, mittunt, expectantes reſponſum. Quos ubi irrito quoque reſponſo reverſos conſtitit (nam Imperator diſſuadentibus iter, indignatus reſponderat : ſic volo) repentè magno furore in palatium irruunt, & obvios quosq; familiares Imperatoris, maximè eos, qui Oſmani profectionis iſtius authores fuiſſe putabantur, nullo habito reſpectu crudeliter trucidant ; Oſmanem verò è latebris extractum, & equo vili impoſitum, in carcerem ducunt. Móxque reverſi, Muſtapham Patruum ipſius è carcere, in quem illum Oſmanes condiderat, extrahunt, eúmq; trementem, & ſe ad necem quæri exiſtimantem, Imperatorem conſalutant. Hic igitur Muſtapha, arreptis Imperij gubernaculis, Oſmanem è gravi carcere educi, & alio ſeptem Turrium dicto, qui locus ad Propontidis oſtium ſitus eſt, vivum aſſervari præceperat : poſtea tamen inſtigante matre, & ſupremo Vezirio, fauces ipſi zonâ ſericeâ elidi juſſit. Cœterum Muſtaphæ haud diuturnum Imperium fuit :

fuit : nam anno insequente, eâdem quâ assumptus fuerat levitate, dejectus est, atque in priorem carcerem reconditus, delato Imperio ad fratrem Osmani, Amurathem ejus nominis IV. juvenem annorum quatuordecim.

Quo tempore Comes Turrianus, è Bohemiæ Regno profugus, à Bethlenio ad Portam Ottomanicam missus erat, ut auxilia Turcica impetraret : qui cùm Constantinopolim pervenisset, primò omnium se in amicitiam familiaritatémq; supremi Vezirij, oblatis quinque Talerorum millibus insinuavit, ita dextrè, ut ille munere hoc excultus, placatúsq;, animo hilari causam Bethlenij promovendam susceperit, atque etiam operam & studium omne suum pollicitus sit. Exin purpuratis in Divano consultantibus, Bethlenio auxiliares copiæ decernuntur, & Turrianus duobus insignioribus equis donatus, ac convivio à Vezirio exceptus, domum lætus revertitur, quem brevì secuta fuit valida Turcarum manus, deinde etiam Tartarorum octo millia, quibus frater Bethlenij & Comes Turrianus præpositi Duces. Hunc in modum res Pannonicæ, quæ aliàs pace

cum Tranſylvano ante ſeſquiannum pa-
ctâ, tranquillo in ſtatu eſſe videbantur, puncto temporis, violato per ſummum nefas fœdere, in apertum bellum exarsêre. Bethlenius enim collecto ad ſexaginta millia exercitu, improvisò in subjectas Cæſari ditiones irruit, ac Legionem Tiffenbachianam propè Trnaviam facili negotio oppreſſit : inde turbinis inſtar irruptione in Moraviam & Auſtriam cis Danubium factâ, rapinis, cœdibus & incendijs omnia complevit, Comitem de Monte Nigro & VValdſteinium tanto numero impares fudit, fuſósque intra Hodoninum oppidum compulit, & coronâ arctiſſimâ cinxit, omniq́ue ad ipſos aditu ita intercluſit, ut ſeſquimenſis ſpatio, nihil prorſus de pabulo & annona ipſis ſubmitti potuerit. Unde exorta inter obſeſſos fames tanta, ut miſeri equinis carnibus ac felibus, & id genus, præter naturam cibarijs veſci cogerentur. Intereà Tartari & Turcæ non ceſſabant à latrocinijs & populationibus, in devaſtanda illa parte Moraviæ ad Brunam uſq; , abigendo , quicquid hominum , quicquid pecoris fuit, loca verò quævis obvia , inſatiabili rabie flammis dando.

dando. Tandem cùm ſe Bethlenius Hodoninij mœnibus oppugnandis fruſtrà hærere cerneret, obſeſſis vim omnem hoſtium fortiter ſuſtinentibus, jámque hyemis aſperitate accedente, nec Turcæ in caſtro manere, legibus id permittentibus, ulterius vellent, ſolvere obſidionem, & cum Cæſarianis paciſci conſtituit.

Habent enim Turcæ omnes tam Prætoriani, quàm qui agris & latifundijs à Principe donati, ſuo ſumptu militant, veterem ab Amurathe ſecundo conceſſam libertatem, quo tempore de VVladislao Pannoniæ &Poloniæ Rege in campis Varnienſibus victo atque interfecto, inſignem victoriam (de qua ſuprà)reportavit, ne ultra diem D.Demetrio ſacrum, qui ad 26. Octobris incidere ſolet, in caſtris durare cogantur : quem diem ipſi Caſſonginum vocant. Is autem hìc ad obſidionem Hodoninenſem longè prætererat,jámq; autumnales ultra dimidium Novembris dies,manifeſta hyemis ſigna, frigidiorésq; pluvias nivibus intermixtas afferebant. Turcæ igitur Tartarîq; non expectato Bethlenij imperio caſtra deſeruerunt ; Bethlenius autem diſceſſu

eorum impulſus, inſuper de copijs Cæ-ſareis ex Bohemia & Polonia, obſeſſis in auxilium venientibus certior factus, & ipſe demùm ad inducias pertractus eſt.

Sed Turcis & Tartaris ab eo digreſſis, & in varia agmina diſperſis, malè in via ceſſit; nam 26. Novembris, cùm unum ipſorum agmen ad Nitram fluvium veniſſet, & in quadam valle ſecurùm conſediſſet, Nicolaus Eſterhaſius Præfectus Novarum Arcium, auxilio Comarenſium, & bis mille fidorum Hungarorum, illos invaſit & diſſipavit, potiori prædâ cum captivis receptâ. Quod fecit ſecundò alteri agmini die ſequenti. Idem fecerunt Baro Reiffnberg Præfectus Comarræ, & Preunerus Jaurini, Turcis, qui Albam Regalem & Caniſam revertebantur.

Non deerant tunc ex Hungaris viri illuſtres, militiâ clari, & bellicarum rerum peritiâ inſignes, qui Cæſarem ad parandum ſuſcipiendúmq; adversùs Turcas bellum, ſecretis apertisq; conſiliorum rationibus inducere non dubitarent, cùm ipſimet Turcæ fœderibus aut inducijs minimè ſtare viderentur, Bethlenio toties rebelli aſſiſtendo, agros populando,

do, miserámq; plebem varijs excursionibus affligendo, non secùs, acsi nulla, pax, nullum fœdus ictum esset. Sed alijs non togatis tantùm, sed etiam sago clarissimis visum fuit, in præsenti rerum statu, non irritandum tam potentem hostem, qui exasperatus formidabilibus sumptis armis, humana divinis confundendo, omnia sursum atq; deorsum misceret: standum potiùs ictæ paci, & suspicaces purpuratorum animos, pacis & amicitiæ ostentatione leniendos.

Anno posteà tertio, cùm iterum Bethlenius à Cæsare deffecisset, séq; junxisset Mansfeldio & Vinariensi rebellibus, Turcarum octo millia Hungariam invaserunt, & pagos quàm plurimos diripuerunt. Deinde juncti Bethlenio, juverunt obsidionem Novigradi; quos tamen Valdsteinius brevi inde depulit cum insigni eorum clade. Iis ergo retrocedentibus, Bethlenius quoq; relicto Mansfeldio in Transylvaniam concessit, ac tandem syncerè pacem cum Cæsare conclusit, quam etiam inviolatam ad mortem usq; servavit.

Mortuo illo Anno 1629. Mense Novembri, cùm Georgius Ragocius favo-

re Turcarum in Tranſylvaniæ Principem evectus eſſet, & Cæſar miſſis Legatis Caſſoviam, ditiones quasdam Bethlenio tantùm ad dies vitæ conceſſas repetijſſet, exurgere cœperunt denuò bellici motus in Hungaria, Turcis inſultantibus ; ſed hi brevi ſedati ſunt, eò quòd Amurathes Aſiatico adversùs Perſas & Armenios bello occuparetur.

Anno 1633. Turcæ à Moſchis contra Polonos exciti, in fines Polonorum ex improviſo irruperunt, & præmiſsâ Tartarorum manu, omnem circa Cameniciam agrum infeſtâ depopulatione divexârunt. Quod cùm intellexiſſet Stanislaus Koneczpolskius, earum partium Præfectus, qui Barij tunc morabatur, extemplò cum copijs ſuis accurrit, & intellecto jam fugâ elapſos, in mediam uſq; Moldaviam, adſumptis tantùm bis mille & quingentis Equitibus Quartianis, perſequitur, ac tandem deprehendit, cœdit, fugat, diſpergit, omni prædâ receptâ, captóq; inter cæteros Cantimirio genero Murzæ Principis Tartarorum. Porrò crebreſcente famâ de adventu Abatzij ſupremi Vezirij, cum quinquaginta armatorũ millibus Danubium trans-

mit-

mittentis, Koneczpolskius nè à tantâ multitudine repentino impetu circumveniretur, tempestivè per Tyram in tutiora se recepit, & accersitis ad se, quidquid in propinquo auxiliorum poterat, retrò Cameniciam castra posuit, ibíque consedit. Intereà Abatzius, ut cladem suorum ulcisceretur, usque adeò citato gradu properabat, ut pedites equitum justis passibus incedentium progressum æquare cogerentur; cúmq; in conspectum Cameniciæ venisset, castra Polonorum vi adortus est, irrito tamen successu, & cum insigni suorum clade. Neq; ultra quicquam tentare ausus, nisi quòd pagos aliquot excinderet, eò unde venerat, revertit.

Pace demum cum Moschis compositâ, Turcarum quoq; Imperator arma adversùs Polonos temerè sumpta deposuit, Abatzio, qui à Moschis pretio corruptus, belli ejus præcipuus author fuerat, strangulari jusso.

Post eam pacem induciæ quoq; cum Cæsare Ferdinando II. pactæ, in longius sunt extensæ, Turcis ipsis id solicitantibus, qui tum in bellum Persicum intenti, omnes eò vires contulerant.

Trecenta enim bellatorum millia tunc Amurathes adversùm Perſas in Armeniam eduxit, cœſóq; & profligato exercitu Perſico, Revanum nobilem apud mare Caſpium urbem, cum regione amplíſſima in poteſtatem redegit. Cæterùm, quia Turcis major in vincendo & capiendo gloriæ cupiditas, quàm cura in conſervando fuit, mox ut Amurathes Byzantium redijt, Perſæ reſumptis viribus, quicquid ſuperiore expeditione amiſerant, brevi compendio recuperavêre. Et ſic denuò Amurathes cum Perſis quod ageret, habuit ſatìs, ac brevi poſt tempore etiam cum Moſchis, qui ipſi Aſſov celeberrimam ad oſtia Tanais fluvij urbem eripuerant.

Initio anni trigeſimi ſeptimi menſe Februario, Cæſar Ferdinandus II. ex hac vita exceſſit, anno ætatis LIX. Princeps omnibus regijs virtutibus ornatiſſimus, ſed pietate ac religione nulli ante ſe Cæſarum ſecundus, cui filius natu major Ferdinandus III. in Imperio & Regnis ſucceſſit, non paternarum modò ditionum, ſed virtutum etiam & gloriæ hæres. Ad illum poſt aliquot menſium intervallum Legatus Turcicus venit, lite-

literas Amurathis adferens, quibus sibi Ferdinandi obitum gravem molestúmq; accidisse significabat, precarîq;, ut illius animam Deus Opt: Max: culpis remissis in æterno Paradiso collocet, tum se pacem cum illo ictam servaturum pollicebatur, si secundùm conditiones illa à Ferdinando filio quoque observetur.

Posteà bello acerrimo, jam cum Moschis, jam cum Persis vario eventu per quinquennium gesto, Amurathes quoque fatis concessit, nullâ relictâ sobole, cùm paulò antè Babylone expugnatâ, Regéq; Persarum ad pacem compulso, gloriosè Constantinopolim fuisset reversus. Post illius obitum, delatum est Imperium ad fratrem ejus Ibrahimum viginti octo annos natum, qui eo fine à Turcis in Amesia servabatur, quòd Amurathem minùs potentem ad generandam prolem adverterent.

Is stabilito in præsens dominatu, inducias quoq; cum Cæsare pactas, ratas habuit, maritimum adversus Venetos bellum meditatus, quod tum statim erupisset, ni Veneti tempestivè purpurato-

rum præcipuos pecuniâ & muneribus placâſſent.

Gliſcentibus tamen odijs, ſuſpicionibúsq; utrinque, anno demum quadrageſimo quinto erupit, ita celeriter à parte Turcarum, ut Veneti priùs arma hoſtium ſenſerint, quàm præſcierint. Nam Ibrahim, ut illos magis improviſus aggredi poſſet, eo toto apparatu bellico, quem ab anno inſtituerat, Melitam Inſulam peti ſimulabat (quoniam paulò antè Melitenſes navigium Turcicum, quo una ex uxoribus ipſius cum filio parvulo vehebatur, interceperant) quo fine etiam Oratorem Venetum, qui Conſtantinopoli degebat, arctâ cuſtodiâ obſervari juſſit, nè per illum cœpta conſilia emanarent.

Tandem rebus omnibus diſpoſitis, & claſſe navali quàm integerrimè inſtructâ, Cretam Inſulam, quæ Venetorum ditionis eſt, Turcæ aggrediuntur, expugnatóq; propugnaculo S. Theodori, quod eſt ad Borealem Inſulæ plagam, Caneam portu & munitionibus celebrem urbem, terrâ mariq; circumſident, ac poſt bimeſtrem obſidionem, antequam Venetis ſubmiſſa auxilia à Pontifice,

fice, Hiſpano & Principibus Italiæ accelerâſſent, occupant. Neq; ſatìs fuit mari Venetorum tentâſſe vires, ſed terreſtribus quoq; copijs infeſtam fecêre Turcæ in Dalmatiam excurſionem, Novigrado, ſeu panico terrore, ſeu proditione intercepto, ac penès numerosâ hominum multitudine, in abominandam ſervitutem à barbaris abductâ.

Haud multò poſt, Veneti auxiliorum ope Caneam magnâ virium contentione recuperare ſatagebant, ſed in vanum, Turcis fortiſſimè ſe tenentibus.

Sequenti anno, ad initium veris, Thomas Moleſini Venetæ claſſis in Ægeo Præfectus, deprehenſis in freto Helleſpontiaco centum onerarijs Turcicis, quæ multo commeatu onuſtæ ex Apollonia & Alexandria Conſtantinopolim petebant, eas diſperſit: atq; iterum menſe Julio cum claſſe Turcica congreſſus, eandem prælijs duobus profligavit, totóq; mari exegit, cœſo ſupremo claſſis illius Præfecto, & reliquis in fugam aut ſervitutem datis.

Nihilominus Turcæ reſumptis viribus, menſe Octobri, cum majori claſſe ad Cretam Inſulam reverſi, Caneam,

quæ interim à Venetis obsidebatur, liberant, & necessariorum abundantiâ communiunt. Inde Rethimnum oppidum septem à Canea milliaribus dissitum, fuso exercitu Venetorum, vi atque armis ad deditionem cogunt. Reperta est ibidem ingens rerum omnium præda, & præter magnam copiam commeatuum, tormenta bellica cum eorum apparatu supra centum, aliáq; instrumenta militaria, auri etiam atq; argenti, vestimentorum & mercimoniorum plusquàm satis.

Conabatur tum Respublica Venetorum inducere in societatem armorum VVladislaum ejus nominis IV. Poloniæ Regem, atq; etiam Alexium Michalovicz Moschoviæ Ducem ; & res hæc successisset utique : jam enim VVladislaus viginti Germanorum millia habuit eo fine collecta, præter Polonorum & Litvanorum copiosissimas turmas, Cosacorúmq; Phalanges ; Moschus quoque & Basilius Moldaviæ Dux, socia sua arma spoponderant : sed obstitit huic intentioni Polona Nobilitas, quæ pacis fœdera cum Turca inviolabili tenore servanda suadebat, nec committendum, ut sine ulla

causa

causa barbarus hostis, terrâ mariq; potens, irritandus, & ad arma concitandus esset. Timebant enim Poloni, nè si Veneti à fœdere desciscerent, & cum Turcis pacem clam inirent, sicut aliquando fecerant, totam belli molem in se provocarent : quare spectatores, quàm socij, aut adjutores esse maluêre.

Veneti tamen provolutas in se totius Imperij Ottomanici vires, hosti intrepidè occurrentes, forti animo sustinuerunt. Accidit autem illis in commodum, quòd exorto per Janiczaros & Spahoglanos Aulæ Equites tumultu Byzantij, primò magnus Vezirius, deinde ipse Imperator fuerit interfectus. Anno 1648.

Unde cùm ea de causa res Turcarum maximis in turbis versarentur domi, Veneti potentiores effecti, toto propè anno fauces Hellespontiacas obsederant, atq; ibi vicinum omne mare infestum reddebant, ut omnis ferè aditus exitúsque in Ægeum pelagus, navigijs Turcicis præcluderetur.

Tandem Turcæ tumultu domestico utcunque sedato, & in locum Ibrahimi filio ejus Mahomete puero sex annorum substituto, classem Africanam, quam

anno ſuperiore maximis ſumptibus inſtruxerant, ſibi in auxilium evocârunt: quo facto, cùm aliquot triremes è faucibus Helleſponti non animadvertentibus Venetis erupiſſent, conjunxerunt ſe navibus ſeptem Africanis, & in portu Foggiano non procul Smyrnâ urbe conſederunt.

Erat tunc claſſis Venetæ Præfectus Jacobus de Riva, qui exploratâ hoſtium ſtatione, in ipſo aditu portûs aciem inſtruxit, atq; ex omnibus navigijs ſuis in claſſem Turcarum fulminavit, tanto impetu, ut brevi ſpatio quinque naves in profundum demerſerit. Inter hæc autem una longè maxima, pulvere nitrato & globis pyrobolarijs gravis ignem concepit: quod videntes Veneti, nonnulli ipſorum contempto mortis periculo, deſilierunt in mare, & ardenti navigio per ignem & aquam adnatantes, funes anchorarios acri aſciâ interſciderunt. Quare navigium illud ardens vento & flammis impulſum, & in claſſem Turcarum illatum, proxima quæq; navigia eodem incendio involvit. Tota penè claſſis Turcarum tum deleta eſt, magna cum ſtrage vectorum, quos

aut violentia ignis, aut dum illum fugiunt, aqua absumpsit. Turcæ damnum illud ad vicies centena millia aureorum æstimârunt. Porrò Respublica Veneta actis per omnia templa Deo solemnibus gratijs, sex millia aureorum inter pauperes distribuit.

Variâ deinde fortunâ utrinq; bellatum est, jam Venetis, jam iterum Turcis prævalentibus, usq; ad annum 1655. in cujus mense Majo Mahometes ejus Nominis IV. annorum tredecim & quatuor mensium adolescens, filius Ibrahimi, Ottomanici Imperij insignia Constantinopoli suscepit, frameâ à Muphti sacrorum Turcicorum Præside in templo accinctus, qui apud illos sanctissimus inaugurandi modus habetur. In Hungaria verò etsi induciæ pacis renovatæ fuerint, tamen ab excursionibus utrinq; limitaneus miles non cessabat.

Anno post Mahometis inaugurationem sequente ad finem Mensis Junij, classis Turcica trium ac centum navium, à Venetis & Melitensibus in Hellesponti faucibus non procul à Dardanellis, ita dictis duobus munitissimis, uno in Europæ margine, altero Asiatica in ripa

ad passus tantùm mille & quadringentos â se distantibus castellis, tridui pugnâ, disiecta fuit, cum ingenti Turcarum clade, ita ut è tanto navium numero, non nisi quatuordecim triremes fugiendo evaserint, cum una prætoria, cui Bassa præfuit : reliquæ omnes aut igni corruptæ, aut alias expugnatæ, captæq;. Christianorum non ampliùs trecentis desiderati sunt : è contra Turcarum aliquot millia, aut ferro absumpta, aut freto absorpta, ceciderunt. Insuper Christiani nominis captivorum, qui ad remos damnati à Turcis fuerant, quatuor millia liberata.

Quarto post eam victoriam die, Veneti Tenedum versùs copias reduxerunt, & tertio Nonas Julias Insulam oppugnatione aggressi, spatio duarum hebdomadarum, obsessos ad deditionem coëgerunt : quam tamen post annum iterum amiserunt.

Interea Mahometes Turcarum Princeps, offensus Georgio Ragocio Transylvaniæ Duci, quòd neglecto suo jussu Poloniam oppressum pro Svedis iverat, Principatu Septem-Castrensi abdicat, & primò Franciscum Redajum, deinde Acha-

Achatium Barchajum ejus loco Transylvaniam accipere jubet. Quia verò Ordines terræ cum Georgio sentiebant, multùm ea res peperit turbarum, jecitq; radicem præsentis mali, quod initio quidem videbatur modicum, sed jam cunctis patet, in quantam atrocissimi funestiq; belli excreverit molem.

Mense Julio Ragocius exercitum Turcarum, non procul ab arce Arad memorabili prœlio fudit, cœsis ad tria millia hostibus : inter quos erat Aly Præfectus Vaciensis. Capti Bassa Agriensis, Mustapha Præfectus Strigoniensis, Aga Tribunus Janiczarorum, Aly Præfectus Budensis, Hasanes Præfectus Lippensis. Vezirius ipse per Maronem fluvium evasit, quem deinde Byzantium reducem, ob rem malè in Transylvania gestam, Mahometes strangulari jussit.

Idem Turcarum Princeps Legatum Suediæ Regis, amicitiam confœderatiónémq; æternam & inviolabilem cum Porta Ottomanica ambientis, re infectâ dimisit, móxq; Byzantio Adrianopolim movit, ut à Dalmatia, quâ Venetos eijcere conabatur, propior esset ; & tunc à Rege Hungariæ Leopoldo, sicut antè à

Sacra-

Sacratiſſimo Cæſare Ferdinando III. per fines Croatiæ in ditiones Venetorum, quas in Iſtria & Foro Julij poſſident, tranſitum petijt, qui tamen illi negatus eſt. Immiſit etiam mari claſſem recenter inſtructam, ac poſt tentatum Sudæ fortalitium, Civitatem quoq; Candiam aggreſſus eſt, ſed ab utroq; cum notabili ſuorum clade rejectus.

Poſt incolumem Sac: Cæſ: Maj: Leopoldi Hungariæ & Boëmiæ Regis à coronatione Imperiali reditum, Legationes ex varijs locis Viennam confluxerant, inter alias etiam Turcica, quæ ei felicia novi Imperij auſpicia apprecabatur.

Ad initium anni ſequentis, Mahometes turbis domeſticis, quæ illum ſat diu exercuerant, ſedatis, & Baſsâ Alepponenſi, alijsq; earum turbarum authoribus ſtrangulatis, eò fortiùs bello adverſùs Venetos & Ragocium promovendo incubuit. Sed adversùs Venetos claſſis emiſſa ſiniſtram experta fuit fortunam, tentatâ fruſtra Spinâ longâ & Candiâ urbe, acceptâ inſuper clade inſigni: meliorem habuit ſucceſſum Aly Baſſa contra Ragocium, quem penè totâ Tranſyl-

vania ejecit, ac demum menſe Majo, anno 1660. commiſſo cum illo ad Claudiopolim cruento prælio, lethaliter læſum fudit, fugavitq́; ; qui cùm Varadinum ſe recepiſſet, & ab inflictis vulneribus nullâ arte ſanari potuiſſet, decimâ ſextâ à prælio die obijt. Quo fato functo Aly Baſſa Varadinum obſedit, móxq; omnia magna cum celeritate, quæ ad impreſſionem faciendam requirebantur, peregit, ac demum infeſtiſſimè oppugnavit. Quamvis autem Præſidiarij Arcis unà cum civibus forti animo diu ſatìs obſidionem tuliſſent, & tot oppugnationes factas imperterriti excepiſſent; ultimò tamen cœſo Præfecto Arcis, & militibus quàm plurimis è medio ſublatis, cúmq; inſuper nec inſtrumenta nec materia ad reſtaurandum ea, quæ hoſtilium tormentorum vi erant convulſa, neq; annona ac pulvis ſufficerent, & ſubſidij ſpes nulla affulgeret, in certas deditionis leges cum Aly Baſſa convenerunt. Eæ verò erant, ut Præſidiarij omnes, cum omnibus fortunis, impedimentis & armis, ſub ſignis explicatis urbe & arce exirent, & ſecuri ac liberi Dobrzecinium deducerentur.

Datis

Datis ergò ultrò citroque obſidibus, Chriſtiani 22. Auguſti egreſſi, propugnaculum totius Orbis Chriſtiani munitiſſimum, & harum partium clavim, immaniſsimo Chriſtianorum hoſti, cum tormentis & alio omni apparatu bellico tradiderunt.

Brevì poſteà Status Tranſylvaniæ in Comitijs Regni celebratis, Achatium Barchajum à Gubernio Principatûs amoverunt, & loco ejus Joannem Gemeni, anteà Ragociani exercitûs Ducem, ſibi in Principem elegerunt. Hic cùm manifeſtè deteſtaretur Imperium Turcarum, neq; eorum iniquiſsimis mandatis obedire vellet, occaſioni ſuæ potiùs intentus, ſi quo modo Cæſarianos ad faciliùs propulſandam barbarorum vim, in ſocietatem armorum allicere poſſet; inſuper cùm Achatium quoq; & fratrem ipſius Andream perduellionis inſimulatos, capite plecti curaſſet; Turcas in ſe concitavit adeò, ut Byzantio novus Baſſa cum exercitu adversùs illum miſſus fuerit, nomine Iſmaël, qui cum Aly & Haſane Baſsis, atque Tartarorum quinque millibus junctus, Zathmarienſémq; regionem ingreſſus, tum ſtatim initia Re-

gimi-

giminis ejus non turbâsset tantùm, sed oppressisset etiam, ni Cæsareus miles ei in tutelam ac defensionem succurrisset.

Castella tamen aliqua partim vi, partim deditione occupavit, & Michaëlem Abaffi, Prætoris Cibinensis filium: juvenem audacem, manúq; promptum, ipsi rivalem opposuit. Sîcque tam diu gliscebant hostiliter utrinq; animi, donec cœso quoq; Gemenio, & Abaffio in Principatu Transylvaniæ confirmato, moles tandem totius belli, cujus apparatum diu antea cudebant vaferrimi hostes, erupisset in nos, ut improvisè (pacis spe paulò antè nobis objecta) ita noxiè, & cum tanta, heu ! non solùm Regni Hungarici, sed vicinarum quoq; Provinciarum, nunquam satis deploranda attritione & clade. Sed quæ motiva ad repellendam tam immanem vim esse possint, videamus.



PARS



PARS II.

Motiva ad ſuccurrendum Hungariæ, & capeſſendum univerſale contra Turcas bellum.

I. A Neceſſario.



I aliquando contra communem hoſtem unanimi conſenſu, & totis viribus arma ſumenda erant, jam ſunt; jam intonandum univerſale Sacri Belli claſſicum, inſtituendi quàm validiſſimi armorum apparatus, habendi quàm fortiſsimorum delectus, exciendi ſub ſigna bicipitis Aquilæ omnes Imperij Status, contrahendi exercitus, inſtruendæ acies, ac dirigendæ pleno paſſu adversùs immanem Orientis barbariem, diram ſervitutem, & extrema quæq;, Chriſtianis in Europa gentibus minitantem.

Vide-

Videmus enim, quantâ rabie feratur in universum Orthodoxæ fidei nomen, quantáque truculentiâ ad evertendam Rempublicam Christianam, & subjugandum totius Romani Imperij decus, ut non justo belli odio, non veri hostis more, sed furore quodam, Eumenidum instar, antemurale nostrum, hostilem in modum aggrediatur, illúdq; instanter premat, videaturq; manifestè nil aliud meditari, quàm ut everso eo, in nos arma, totiúsq; belli vim convertat, atque ita, quod cupit, Christianorum nomen conculcet, Orbisq; Imperium assequatur.

Non est contentus rabidus ille ac truculentissimus hostis, tam vasto jam antè in Asia, Africa & Europa dominatu; non satiatur duabus Imperij Sedibus, Constantinopoli & Trapezunte, nec possessione totius Græciæ, ac Regnorum florentissimorum quondam, ut Macedoniæ, Epiri, Dalmatiæ, Bulgariæ, Illyrij; nec non Insularum Rhodi, Cypri, Lesbi, Tenedi, Cycladúmq;, & aliarum in Ægeo & Jonio mari: nec potiore Regni Hungariæ parte, nec Transylvaniâ, Moldaviâ & Valachiâ sibi vectigalibus;

bus ; & ut paucis omnia complectar, non est contentus iniquissimus prædo, duobus Imperijs, ac septuaginta septem Regnis, Provincijsq; innumeris, quæ omnia à Majoribus suis Christiano nomini per summum nefas erepta possidet : sed nunc quoq; ipsemet Romanum Imperium, tanquam hoc sibi relictum certamen evertere, atque de medio tollere intendit, ad idque properat, ut devictâ Hungariâ, & Transylvaniâ in provinciam redactâ, cætera quoque Europæ Regna, possessis terræ suæ plagis adijciat.

Et hanc diram rabiem evomuisset in nos pridem, si suo furori atq; scelerato consilio modus adfuisset : sed pro vafritie sibi innata captabat tempus, quo tutior impunitiórq; nefandi voti compos existeret. Unde certior factus ante biennium de Cæsaris nostri bellico apparatu, ac postmodum de copijs tam pedestribus quàm equestribus ex Imperio in Hungariam affluentibus, egregiæque instructis, pacis firmandæ tractationem simulabat, ut ita nostros in spem pacis erectos segniores redderet, & se interea ad bellum eò fortiùs nobis infe-

rendum præpararet. Atq; utinam tum ſtatim jacta fuiſſet belli alea, & obtemperatum graviſſimis, prudentiæq; & experientiæ opinione clariſſimis viris, qui multis adducti rationibus, bellum contra immanem Tyrannum, pro recuperando Regno Hungariæ, próque aris & focis ſuſcipiendum cenſebant : præſertim cùm eo tempore ipſimet hoſtes, non ſecùs, acſi nulla pax, nullum fœdus ictum eſſet, in ſuperioribus citra Tibiſcum Hungariæ partibus, agros urere & populari, miſeram plebem quotidie ferè, varijs indignisq; modis ad deditionem compellere, arces finitimas, quarum præcipua erat Varadinum fortiſſimum illius regionis propugnaculum, & clavis harum Provinciarum, partim fraude & aſtu, partim apertâ vi invadere, expugnare, imperium per fas & nefas prolatare contenderint. Sed maluimus tunc (neſcio quo fato !) ire in ſententiam, extrema omnia alia priùs, quàm bellum experiri conſulentium. Et ecce in Charybdim ſeu voraginem & farraginem malorum, quam evitare voluimus, incidimus, ſubdoli hoſtium conſilijs, & machinationibus, tandem

in nos ex improviſo erumpentibus. Jámq; primo advertimus, quæ habenda ſit fides perfido ac ſceleratiſſimo Mahometi, qui ut prætexeret ſibi juſtum belli hujus titulum; datâ operâ tam iniquas pacis conditiones propoſuit, quas ne victi quidem dignè tolerare potuiſſent. Sic omnia ſibi licere ſtatuit nefanda, impij hoſtis temeritas, ubi noſtrorum animos vanâ ſpe pacis elanguiſſe videt.

Quouſque ergo Chriſtiani Principes tantam truculentiſſimi hoſtis violentiam paſſuri eſtis? an dum vobis in viſcera ruat, veſtrisque Penatibus vincula circumdet? extinguendi ſunt citò extinguendi improbi illius conatus, nè ſenſim per ignaviam noſtram creſcat incendiũ, & ſerum (quod ominari reformidat animus) remedium conqueramur: cùm à parvis initijs, à Majoribus noſtris neglecta Tyrannis illa, funeſtum extulerit caput, & tam vaſtas auxerit vires. Proſpicite ad impendens toti Hungariæ periculum, imò ad exortum jam atq; impetu pleno excitum malum, mox, niſi citò occurratur, Germaniam cæteráque Europæ Regna invaſurum; ut meritô Hungaria præſentibus coarctata anguſtijs,

ſtijs, tum Germaniæ, tum Italiæ & Poloniæ alijsq; Chriſtianæ Reipublicæ Regnis occinere poſſit illud : Hodie mihi, cras vobis. Serpit enim in dies hoc virus magìs ac magìs, nunc una Provincia, una urbs, nunc alia deficit. Tranſylvania jam noviſſimè ferè tota occupata, uberrima Hungariæ terræ portio, ac plena inſigni fortiſſimóque populo, futura ſucceſſu temporis fatalis tam Germanicæ, quàm Sarmaticæ genti, ni in priſtinum ſtatum reducatur. Dux gentis & omnis Status à juſſu Turcarum totus pendet. Hungari etiam, qui hactenùs nobis muri loco fuêre, magnâ affecti plagâ, obriguerunt toti, deletâ mox in limine belli trium validiſſimorum Comitatuum Nobilitate, unà cum Germanorum è promptiſſimis ſelectâ cohorte : quam cladem ſequuta Novarum Arcium infeſtiſſima obſidio, ac brevì poſt deditio deploranda ſerò nimis.

Emiſſa quoq; Tartarorum ferociſſima gens, totius illius Regionis tractum inter Granum & Moravam crudelem in modum depopulata eſt, hominum ultra triginta millia, partim cruentâ cæde conſumptis, partim abductis, ut jam in

illa paulò ante florentissima cis Danubina superiore parte Regni Hungarici, nihil sit videre nisi desertum quoddam horribile, & fumantia latè incendia oppidorum atq; villarum, vera ac genuina hostis immanissimi vestigia. Succumbétq; tandem Hungaria attrita lassatáq; tot & tantis malis, ac impar hostium viribus. Quod si fiat, publicum privatúmq; fatum quisq; sibi ante oculos proponat : nam quid in Austria & Moravia erit uspiam virium, quod inclinatam rem Christianorum sustinere, & elatum tantâ fortunâ hostem reprimere possit? præsertim in Moravia, cujus magnam partem hostilis crudelitas similem in modum, ut Hungariam, flammâ ac ferro exhausit, oppidis & pagis compluribus cum annona penè tota incendio consumptis, & hominibus sexûs omnis ad decem millia partim cœsis, partim in captivitatem abductis. Si ergo firmaverit ille suas in Hungaria ab utraq; Danubij ripa vires (quod quàm facilè jam occupato Novarũ Arcium munimento efficere potest?) considerate reliqui Europæ populi, quæ vos manent? non labori, non periculis, non impensis ille parcet, modò aliquid sem-

ſemper de Provincijs Reipubl: veſtræ abradat, ac tandem ſibi dudum optato ſuper vos Imperio potiatur.

Quapropter non ſine cauſa veteres Germaniæ Italiæq; Principes, quemadmodum & Coronæ Regni Bohemiæ Status durante cum Turcis bello ſub auſpicijs Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II. Cæſarum, tantam habuêre Regni Hungarici curam, ut totis viribus in ſuccurſum non ſemel accelerârint, tantis in id ipſum collatis expenſis, ut nobis poſteris vix credibile eſſe poſsit. Sola Bohemia cum Provincijs Coronæ unitis, Moravia, Sileſia, & utraq; Luſatia, ſupra ſeptingentas Florenorum Rhenanorum Myriades, poſtremo illo quindecennali bello, ut ex Actis Comitiorum patet, contribuit; præter ea, quæ in extructionem fortificationémq; Comaronij & Vgvarini, ſeu Novarum Arcium, contulit. Præſciebant enim ſolertiſsimè, ſi vinceretur Hungaria, aut coacta jungeretur Turcis, non fore Bohemiam, neq; Germaniam, neq; Italiam in tuto. Quantum non incuſsit aliquando terrorem toti Germaniæ Jaurinum à Turcis captum? Caniſa quoq; perdita, & pote-

ſtati hoſtium data, quem non intulit Italiæ metum ? at nunc cùm ſint multò in deteriore periculoſioréq; res Hungarorum ſtatu, quàm fuerint unquam ; conſiderandum eſt, ac ſeriò perpendendum, ne ſuperveniant in nos ea, quæ extimeſcebant Majores noſtri, ac nè tandem vicini obruantur crudeli hoſtium jugo, illúdque malum nè in nos devolvatur. Quid enim obſtare poteſt, ut ij, qui adhuc ſuperſunt, non ad unum pereant ſub hoſtili acinace omnes, niſi citò potens exercitûs noſtri auxilium adſit oppreſſis.

Quare omninò præveniendum eſt citò, accelerandúmq; ijs viribus, quibus impetus hoſtis, ſi non ex toto tolli, ſaltèm frangi poſsit : dandum & afferendum quantocyùs tale auxilium, quo amoveri & extingui queat fax funeſtiſſimi belli, antequàm conflagremus univerſi.

Neq; enim, ſi verum fateri volumus, multis antè ſeculis periculoſior erat, quàm modò Patriæ noſtræ ſtatus. Retroactis namq; temporibus foris, hoc eſt, in alienis terris, cœſi fuimus : nunc verò imminent vulnera nobis in Patria,

& in domo propria, ab hoſtibus infligenda, ſumpto mali hujus initio à Moravia, ecce jam à membro veſtro Germani & Bohemi, à veſtra Marchia, cujus huc uſq; ab effuſo civium ſanguine fumant latè patentes campi. Conſiderate igitur, quantum momenti ſit, in tam periculoſo rerum noſtrarum ſtatu, ut tempeſtivè obvietur hoſti. Quare tollenda eſt omnis mora, abijciendæ omnes illæ conſultationes, quas belli neceſsitas & periculum præſens expectare non poteſt, peragendæ omnes Provinciæ, edictum proponendum, percenſenda capita, exercitus impigrè cogendus, nè cùm hoſtis in interiora noſtra irruerit, minitabundus extrema cervicibus noſtris, nos tum primò ſera belli conſilia quæramus. Conſurgite tempeſtivè univerſi, & patriam, uxores, liberos, fortunáſq; veſtras per ſummam gloriam vobis vendicate, defendite, & ad veram libertatis tranquillitatem reducite, sicq; Germanici nominis heroas vos, omni deinceps futuræ ætati oſtendite. Conſurgetis aliàs vel inviti, cùm hoſtem impatientem, ac fortunâ ſuâ elatum, libertatem atq; imperia

vestra evertentem, & valido cruentóq; ore, pollutis atque sacrilegis manibus, ad sanguinem vestrum hauriendum proruentem videritis. Sed nunc nunc vires viribus, arma armis conferentes accelerate, non expectando ut irruat ille priùs in viscera nostra, sed in eum ultrò irruamus : ad quod vos hostis ipsemet admonet, quem jam jam in conspectu habetis. Prædam ille poscit, regnandiq; solâ cupiditate in vos ruit : vos ne præda sitis, & ut cives patriæ debitum exsolvatis, cujus pietas omnem superat pietatem, & pro qua nunquam nimìs sanguinis datum videri debet, omnia fortitudinis signa demonstrate, conjunctîsq; viribus audacter prædonem illum aggredimini : qui cùm ita conjunctos & animatos viderit, certè pœnitebit eum consilij sui, vel si ire pergat, sceleratam dominandi cupiditatem malo suo est depositurus. Nihil enim magis, quàm conjuncta Christianorum arma formidat.

Et quid ulterius abhortatione opus, pro ea causa, quæ defensa salutem & libertatem : omissa (ominari horreo) quæ ferat. Habemus ante oculos Hungarici

Regni

Regni ruinæ, aliorúmq; Orientalium haud leve documentum, quo ſatis admonemur, ni nobis meliûs providerimus, quanto in periculo ſit quoq; ſtatus rerum noſtrarum futurus.

Pro victoria olim & pro decore nominis cum Turca dimicâſtis, Germani & Bohemi : at nunc pro ſalute, libertate, pro aris & focis, eſt vobis pugnandum. Orientis ille adeptus imperium, ad Occidentale feſtinat : novam ex vobis erigere Monarchiam conatur, uni Ottomannorum imperio, uni Mahometanæ legi cuncta ſubmittere ſtudet.

Et primus quidem barbari impetus irruet in vos Auſtriaci, Moravi, Bohemi & Sileſij, ut inde velut ſuperatis clauſtris imperij in Germaniam perrumpat. Vos poſt Hungaros belli ejus primitiæ manent. Vos proinde (ſi reſidet quicquam in pectore virtutis antiquæ, ſi & viget in vobis viris fortibus vincere doctus animus) conemini contrà quàm audaciſsimi ire, ſuperbas hoſtis vires conterere, ac feroces frangere ejus ſpiritus : à vobis & timoris & ſpei initium ſumpturus eſt Mahometes. Quod ſi ita animatos offenderit, ut vos nunc validiſsimo

mo conatu ad resistendum disponitis, majorem ubiq; vim periculi timebit, & documentum eo ipso feret abstinendi ab ulterioribus. Vos verò Austriæ ac Bohemiæ vicini, cùm res quoq; agatur vestra, succurrite socijs, neq; patiamini ut succumbant, & vos pariter in discrimen trahant. Meritò enim debet vos, Bavari, Saxones, & Pomerani pulsare pavor timórq; , nè, si tam immanis hostis Hungariam & Bohemiam absorbeat, eodem quoq; calamitatis tenore, sumptis velut inde victoriæ auspicijs, & ferociæ alimentis, vestram fortunam trahat : maximè si iniquo aliquo sydereSilesiâ quoq; atrox Tyranni animus compos fiat. Inde enim quâ datâ portâ in Lusatiam ruet, neque solùm in Marchia Brandeburgici tutum erit,sed anterior quoq; Pomerania & Saxonia, omnisq; illa ad Albim usque regio, pulcherrima Germanici Imperij portio, in summo periculo constituetur. Date ergo & afferte auxiliatrices copias, quibus amoveri commodè tantum periculum posit, antequàm eo involvamini universi. Satis se quisq; defensum, patriósq; Lares tutos existimet, si defensos nunc vicinos socios à præsentis periculi

vasti-

vastitate, præstabitis: nam ab his certè tum publicè tum privatim, incolumitas omnium vestrum, & quietissima possessio rerum fortunarúmq; vestrarum, tum Provinciarum securitas, secura quoque Germanici nominis gloria, dependet: ijs oppressis, & vos semper in periculo eritis: ijs servatis, & vosmet ipsos à periculo præservabitis, sicq; optimè paci & tranquillitati vestræ consuletis. Neq; diutiùs in tardis consultationibus terite tempus, cùm maxima vis periculi hic sit, in minima mora; satìs jam satìs consultationibus, satìs & ignavo dolori datum est.

Proinde sumenda sunt arma vobis, non eo passu, velut in domesticos aliósque hostes consuevistis, sed majori longè celeritate, & majori irâ indignationéq;, tanquàm in barbaros, non tantùm opes vestras, sed sangvinem quoq; sitientes.

Non timent hæc fortasse Germani qui Rhenum, Visurgim, Mosam & Mosellam accolunt, neq; Galli, neq; Hollandi, tot aquis & fluminibus circumfusi. At idcircóne, quia illi tutiora tenent, nos velut piacula quædam luendis omnium periculis hosti objiciendi simus? non mo-

 vebit

vebit illos miserabilis rerum nostrarum status, non imminens gravissima sub crudelissimo jugo servitus? non fœda vincula, non mœstissimæ opem implorantium jam jámq; labantium voces, nec Christiani nominis pietas; sed ita derelictos, & quasi jam perditos ab immani rabie hostium dilacerandos nos sinent? Heu perijmus jam omnes, dum quisq; sibi se tantùm natum existimat? conflagravimus jam omnes, dum nemo incendium ad se putat trajecturum? fluit undique noster cruor, deficimus in dies, nec sentimus? Proh dolor! incidimus in ea tempora, ut vilior jam apud Turcas Christianorum, quàm jumentorum futurus sit sanguis; eveniétque certò, si hæc diutiùs hostium pestis, nostra ignaviâ invalescat, ut triginta ex nobis vix uno obulo liceant hostes: quod in captivitate illa Hierosolymitana de Judæis Scriptores referunt. Atque utinam falsus sim Vates, & dira hæc, quæ horrens præsagit animus, Deus immortalis à diebus nostris longè amoveat: sed tamen quin evenire possint, pro incredibili rerum humanarum inconstantia, & pro ea, quâ laboramus

Chri-

Christiani omnes, ignavia, haud facilè quis abnuerit.

Nolite ergò nolite, vos omnes cis & trans Rhenani populi, idcircò, quia à barbaro hoste longiùs dissiti estis, stertere, & permittere nos socios vestros, membra vestra, ejusdémque Religionis fratres, rapi in vincula, in cœdes, atque in deplorandam servitutem: sed afferte quàm citissimè opem, afferte auxilium, ac seriò perpendite, an salvis adhuc & integris utcunque nobis, an postea ex toto fractis atq; oppressis id agere magis expediat? Perpendite quoq;, an non meliùs, si virtus vestra, cum hoste illo immanissimo, extra potiùs, quàm intra patriam confligat? Enimverò non sinè causa prudentes, hujúsque omnes Reipublicæ Gubernatores, bellum foris quàm domi maluêre, & ita remotissimam semper laudavêre militiam: ipsa námque ratio Statûs id exigit ac svadet, faciendi sedem belli in alieno potius, quàm domestico solo; foris enim, si quæ accepta sit calamitas, emendari potest: at quæ domi excipiuntur clades, exitiales habentur: perniciosa & fu-

nesta sunt, quæcunq; gerimus in nostris Laribus bella.

Romanis Orbis domitoribus nulla suscepta calamitas durior, quàm in Italia fuit: nec illi Hannibalem feliciùs quàm in Africa vicerunt. Hinc ille eo experimento doctus, cùm deinde exul esset, & Regi Syriæ Antiocho, adversùs Romanos bellum suaderet, non in Asia neq; in Græcia, sed in Italia pugnandum esse dicebat. Et vos ergo Germani, sic agite, imitamini hac in re non Romanos tantùm, qui sociorum tutelam semper suam salutem ducebant, ac foris quàm domi pugnare malebant: sed & Majores vestros, qui remota semper à domo bella gerere, ac vicinorum fines, non minùs quàm suos tueri consueverunt.

Denique si vobis per summum ocium dissimulantibus, sub hostile jugum deveniat Hungaria, & Bohemia, cum adjacenti nobilissimarum Terrarum tractu, Austria, Moravia, Silesia, (taceo jam hìc de Transylvania) pensitate, quantas non inde vires assumet potentia Ottomannica, an non aliquando formidandas toti vestro Imperio? non erit imposterum necesse hosti, ut Asiaticas copi-

copias huc ſemper evocet, cum tanta longiſſimi itineris difficultate, impenſîsq;, habebit jam de ſubjugato hìc populo ſufficiens ac regionibus auræ aſſuetum ad invadendos vos robur: præſertim Hungari, ſi coacti jungantur Turcis, irritabuntur eâ contumeliâ, quòd à vobis derelicti ſint, tantóque odio & irâ efferveſcent in vos, ut ferrum in hoſtium perniciem deſtinatum, in vos ipſos convertant, atq; illud veſtro, & Conjugum, fratrum, liberorúmq; & neceſſariorum veſtrorum cruore cœdéque commaculent: & tunc extimeſcendum eſt, ne redeant illa tempora, quibus olim Hungari, priusquàm Chriſtum colerent, à finibus ſuis digreſſi, non tantùm Auſtriam & Bavariam, ſed Sueviam quoq;, Franconiam, Saxoniam, & utramque Rheni ripam, imò & remotiorem Galliam & Hiſpaniam percurrerunt afflixerúntq; crudeliter. Potuêre id Hungari ſoli: & quid non poterunt Turcæ, tam vaſtæ potentiæ hoſtes, Hungaris aliisq; Vectigalibus ſuis populis conjuncti. At, ſunt fortaſſe nonnulli veſtrum, qui ſuis diebus non videri ſimilia, nec fieri poſſe confidunt: atq; utinam hæc à vo-

bis transeant. Vereor tamen ego, ne in hac parte folia recitem Sibyllæ. Venient, venient Turcæ, nisi obviam iveritis, & auferent vobis locum, & gentem.

Scio equidem obstare, quo minùs succurratur labanti Hungariæ, domesticam Principum Christianorum æmulationem, Religionîsque dissidium: quod, an non sit justè deplorandum? ita enim intestinis bellorum turbis, assiduîsque seditionibus, & factionibus, quibus nos Christiani continuò ferè agitamur, fovemus & augemus hostis nostri immanissimi potentiam: ita dum nova civilia bella meditamur, ægrè tolerando unius & de Ecclesia & de Imperio bene meritæ familiæ continuatam felicitatem, superaddimus illi audaciam, virésq; tantas, ut ecce audeat prior totis nos armis impetere, & apertè ignaviam dissensionémq; nostram arguere. Omnes præesse, omnes imperare volumus, parere nemo. Tanta inter nos animorum diversitas, multi inter nos Reges, multi Imperatores: quilibet tantùm in consilia sua pro libitu voluntatis fertur, suo ingenio unusquisq; sapit, furit suo

quis-

quiſque facto, ſuo quiſque more vadit. Nullus, aut rarò quis, commune bonum & commodum procurat, ambitioſi omnes, cupidi omnes, odia inter nos maxima, conſenſus nullus, obedientia nuſquam; verbo, nihil eorum, in quibus aliàs tota vis Imperij verſatur, in bello præſertim. Intereà quantùm creſcant, aſſurgántq; in dies Turcarum vires, difficile dictu eſt, auditu miſerum.

Proinde videte Chriſtiani Principes, & attendite, ne in vobis, ranæ murisque fabula impleatur, qui dum invicem ſe morderent, præda Milvi facti ſunt. Nullum enim tam potens validúmq; imperium, quod non corruat quandoque, atq; dilabatur, ubi mutuis odijs & diſſidijs præbetur locus, ubi privata utilitas, propriúmq; commodum publico bono anteponitur.

Exemplo vobis ſit Conſtantinopolis urbs magnificentiſſima, imò tota Græcia, Imperium olim florentiſſimum, cujus res ancipiti fortunâ agitabantur, enatis diſcordijs propter Regnum, inter avum & nepotem Andronici, ad usque interitum. Ubi etiam Boſna, quam Mahometes

metes II. dum Hungari cum Auſtriacis, ob Ladislaum bellum geſſerunt, ingreſſus eſt? Vaſtata quoq; Iſtria, Carnia, Valeria, dum Matthias æmulos virtutis ſuæ, ad ſocietatem belli contra Turcas gerendi adducere non potuit. Perditum Belgradum Ludovico Rege juvene exiſtente, & Hungaris de Regni adminiſtratione diſcordantibus. Amiſſa Buda cum innumeris damnis illatis, Joanne & filio ejus cum Ferdinando & Maximiliano de poſſeſſione Regni belligerantibus. Et ſuperioribus abhinc annis quandocunq; diſcordia civilis in eodem Regno exorta fuit, non niſi in lugubres deſijt Tragædias: quas, & illas, quæ in præſenti aguntur, horreſcit animus referre, nec pro magnitudine damnorum poteſt. Quis enim innumeras cœdes, incendia, captivitates, & his ſimilia commemoret, quæ ad domeſtica vulnera & calamitates, Turca in rem ſuam intentus adjecit? noſtris bellis ſuam ille potentiam, noſtrâ jacturâ ſuum commodum amplificavit, & ſtabilivit, ut probatiſſimum ſit, nunquam Ottomannicum Imperium majores progreſſus feciſſe, quàm diſſidentibus Chriſtianis: neq; tantos animos adver-

versùs populum Dei ſumeret, niſi in eo diſparitate animorum visâ animaretur.

Utinam jam tandem ſaperet Chriſtianitas, & ſedatis civilibus bellis iniret commune fœdus, adverſus communem fidei hoſtem, atque ita poſt Deum in concordiæ ſtudio præſidium ſuum adverſus illum collocaret, non jaceret profectò diutiùs in eo ſquallore Europa, ſed eò citiùs faciliúſq; potens illa beſtia, ad ruinam inclinaret, & unitâ virtute conficeretur. Nihil enim ubiq; Terrarum, & tutiùs armiſq; omnibus firmiùs in vita humana inveniri poteſt, quàm Concordia.

Eam itaq; Chriſtiani Principes unanimi conſenſu inite, non ampliùs vos inteſtini aut domeſtici motus detineant, ſed unà conjuncti expellite priùs communem hoſtem, qui minatur crudele jugum cervicibus veſtris, & quem jam in conſpectu habetis pleno impetu in vos ruentem: & poſteà, ſi pacem tenere nequitis, de terra, de Dominio, aut etiam de Imperio pugnate, quod non Turcis, ſed veſtris filijs relinquere valeatis.

Vos præſertim Galli, Chriſtianiſſima ſimul

ſimul ac nobiliſſima ex Europæis natio, compatiamini Matri Eccleſiæ, quæ ecce ſuper contritionem populi ſui, ſtat mœſta dolens & gemens, neq; eſt qui conſoletur eam. Conſiderate, quò redactum ſit Chriſtiani nominis decus, quantúmq; in Oriente, quantum in Meridie, eheu diminutum! & jam quoq; Occidentem verſùs, quo in periculo verſetur miſerabilis ejus ſtatus, perpendite.

In angulum Orbis redigitur Chriſtianorum res, jámq; de nobis verè dici poteſt propheticum illud: *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt.* Quotidie carpitur, quotidie aliquid de nobis ſurripitur, aut opprimitur, ut vel ſaxeo cordi poſſet aliquid elicere lachrymarum.

Et vos Chriſtianiſſimi, vos filij Eccleſiæ primogeniti, impunè ſinetis iſta? permittetis ut conculcetur Evangelium, Sacra noſtra ut prorſus abijciantur, Chriſtianum nomen funditùs ut eradicetur?

O ſi viveret nunc Ludovicus IX. tuus Ludovice XIV. ſanctiſſimus anteceſſor! ſi quoq; adeſſet Hugo ille magnus, Reymundus Toloſanus, Robertus, & unà cum illis

illis Godefridus, Baldevinus, Eustachius, Bullionei fratres, qui quondam Hierosolymam per medias Turcarum acies penetrantes, armis recuperârunt, non sinerent profectò rem Christianam his in angustijs, sed justissimo armati zelo, pro decore ejus, pro amplitudine ejus, & pro libertate ejus, ad ultimum usq; spiritum quàm promptissimè decertarent. O felicia illa corpora! (liceat exclamare hoc loco paululúmq; digredi) ô verendos mihi semper Manes, qui præclaro fidei servandæ & propagandæ studio, aurum, argentum, ferrúmq;, & quicquid vel cupit, vel timet misera mortalium conditio, perinde contempsêre! Et vos itaq;, si cui Christiani nominis pietas, si cui sua virtus, si & cui Natalium splendor, aliquid incitamenti possint subdere, facite revivisci in vobis priscum gentis zelum, assumite seriam Religionis vestræ curam, induite fortes animos, defendite Matrem Ecclesiam, & totis viribus occurrite inimicis Christi. Et si recentiora vos movere debeant, sumite exemplum ab inclyta Italorum gente, ac præcipuè à Serenissima Invictissimáque Venetorum Republica, quæ jam ab annis no-

novemdecim provolutas in se hostis immanissimi vires, pro re Christiana, propè ex æquo, ut neq; victrix, neq; victa, ad hoc usq; temporum, Turcis non nisi de duobus vel tribus oppidis triumphantibus, sustinet. Ex ea, inquam, imaginem virtutis sumite : neq; sitis hac in parte ultimi, quos Christianisimi nominis dignitas jubet exire priores.

Quod Religionis disidium attinet, scitote Acatholici omnes, communem illum hostem non observare, quid quis credat. Religionis respectus est apud illum prorsus nullus; unde si eum progredi ad vos usq; sinatis, quærendum non erit, in quo statu, vel in qua fide vivere, sed an vivere debeatis. Nec objiciatis, quòd jam recenter Hungaris vectigalibus concesserit largam tam vitæ quàm Religionis libertatem. Visco huic *ne credite Teucri, latet anguis in herba, ignis sub cinere doloso* : suspecta enim est hæc iniquisimi hostis beneficentia, quâ nil aliud prætendit, quàm ut eâ concessæ libertatis utriusque specie plures sibi alliciat, & sub jugum mittat, ac tandem ex improviso omnes liberis, fortunis, religione, & vitâ exuat.

Sed

Sed nunc meus ad Polonos convertatur ſermo, quos ut etiam ad bellum hoc evocem, tum virtus ipſorum, audacésq; animi imprimis cogniti ſuadent, tum rerum omnium noſtrarum, & illorum periculum diſcriménque cogit. Et, ut brevibus abſolvam, certum vobis ſit Poloniæ Proceres, quòd Mahometes non niſi perfidiâ atque ſimulatione ductus pacis perpetuæ, ut ille dicit, confirmationem vobiſcum non ita pridem inierit, ut quamprimùm alios vicinos Reges & Principes Chriſtiani nominis ſibi ſubijceret, propagatis dehinc viribus & Imperio ſuo, in vos arma retorqueret. Noviſtis jam Ottomanorum fraudes, noviſtis dolos & inſidias, quibus omnia ſua diſponunt, expediunt, & maxima quæque perficiunt. Noviſtis, qualiter & quàm perfidè Oſmanis atque iterum Amurathis IV. tempore vobiſcum, ruptis per ſummum nefas fœderibus, actum fuerit; & licèt tunc impij hoſtes, Deo Opt: Max: qui ruptores fœderum ut plurimùm averſatur, irato, à fortuna deſerti, amiſsâ potiore parte exercitûs, meritas pœnas luerint: inde tamen juſtè ominari poteſtis, quàm tuta ſit

habenda barbaræ genti fides. Quippe nihil aliud gens illa molitur, nihil aliud mente agitat & expetit, quàm nos sejunctos & ab invicem distinctos opprimere, de medio tollere, Regna verò & Imperia nostra arripere, sibiq; vendicare ; tantóque nobis & vobis formidabilior esse debet, quantò ipsâ belli assuetudine fortior reddita est ac ferocior : dum insuper sub ductu & auspicijs Imperatoris juvenis, bellicosi, crudelis, & nomini Christiano inprimis infensi, nihil aliud spirat, quàm quomodo Pomæria sui Imperij longè latéque dilatare possit. Et hoc pro indubitata veritate supponendum est, Turcis nec intentionem, nec prætextus deesse opprimendæ Poloniæ, & illam quam præ se ferunt pacem & amicitiam, non diutiùs certò duraturam, quàm, dum occasio affulserit illius tutò violandæ.

Itaque devota libertati pectora, perpendite benè hanc in dies magis ac magis crescentis, & fines vestros in longum latúmq; nimìs ambientis, Ottomanicæ rei magnitudinem, & videte, an unà nobiscum non sit quoque in periculo rerum vestrarum Status ? Non patiamini

ergò

ergò hanc in præſenti jacturam Ucalegonti veſtro imminentem, quæ olim & vos pariter cum omni Imperio exhauriat. Non expectate, donec vobis in ima, ad cubiculum & pulvinar ipſum, irrepſerit ignis, ſed dum adhuc extra parietem domeſticum per vicina ſerpit, ad extinguendum accurrite. Cavete, vobis, cavete libertati & Regno cùm poſſitis, priusquàm vos majora pericula obruant, & tunc velletis, & non poteritis. Ideóq; longè meliùs eſt prævenire, quàm præveniri, faciliúſq;, ſi antea proſpexeritis, quàm poſt illatum ſuſceptúmque vulnus remedium & medelam quærere velitis. Agite ergo, & dum tempus agit rem, nobis, vobisq; conſulite: nè poſt nos etiam vos hoſtis arripiat, & non ſit, qui eripiat.

Exiſtimant fortaſſe veſtrûm aliqui, Turcarum Principem obtentâ Tranſylvaniâ & aliquâ parte ſuperioris Hungariæ, deinceps quieturum, neq; tantoperè feſtinandum cenſent, nè irritatus ille & exaſperatus formidabilibus ſumptis armis, totam deinde belli molem in vos convertat. Atqui hoc ipſum eſt, quod ſi ſapitis, impedire debetis, ne ille Tranſyl-
vaniam

vaniam occupet, & conſtituto ibi aliquo è Purpuratis ſuis Præfecto, ſibi in Beglerbegatum ſeu Provinciam redigat. Paries illa eſt vobis proximus, quo ardente, quàm facilè eſt, ut veſtri quoque Lares flammam concipiant. Succeſſu namq; temporis, quando volent hoſtes, per Ruſſiæ latè patentes campos, per Ukrainam & Podoliam, impunè illis volitare licebit: præſertim, cùm ad oſtia Boryſthenis, & ad Bogum flumen, nova fortalitia recenter erecta habeant, in quæ ſe recipiant: quæ, quòd erigi in fundo Reipub: Veſtræ paſſi fueritis, non poteſt id demirari ſatìs totus Orbis Chriſtianus.

Neq; ſolùm Ruſſia, ſed minor quoque Polonia, atq; imprimis Scepuſienſis ditio, in ſummo diſcrimine conſtituentur. Nihil enim Tyranni viciniâ pejus, nihil tetrius, nihil formidabilius. Videte igitur, nè iſta negligentia veſtra, ne dicam ignavia, in ſummam Patriæ veſtræ perniciem aliquando erumpat.

Poſſetis equidem tolerare adhuc iſta & meliora ſperare, ſi finis malorum eſſet, & non majora imminerent pericula: ſed quo pacto præſtolari quietem ab illa gente poſſumus, quæ cœcâ quâdam rabie

bie ad hauriendum ſanguinem noſtrum fertur ? quæ occupatâ potiore parte, Hungariæ, jam quoq; in viſcera noſtra gladium adegit. Juvenis eſt adverſarius noſter, ætate floridâ, robuſto corpore, animo vaſto, tumidus curſu fortunæ, quæ hucuſq; illi in ſingulis nimiùm arriſit. Vanus eſt, deceptus eſt, ſi quis arbitratur adoleſcentem quieturum eſſe, magna ſemper atque difficilia appetentem, & ad exequendum perficiendúmq; ea promptum, audacem, & belli percupidum. Ponite hanc ſpem, non deponet ille arma, niſi aut victus, aut omnium victor extiterit. Proxima illi quæq; victoria, gradus erit alterius : ſicque fiet, ut cum ſingulis ſemper gentibus pugnaturus, omnes tandem opprimat, ſubactisq; Occidentalibus Regnis & Provincijs, ſublato quoq; ac deleto Chriſti Evangelio, Mahometicam Legem ubiq; gentium inferat. Ecce quietem, quam ſperare poteſtis Poloni Nobiles ! nolite confidere, nolite differre. Conſulite, vobis ipſis, & utilitati libertatiq; veſtræ, dum tempus habetis. Quærendus aliquando, quærendus pertinaciter hoſtis, non ſemper expectandus.

Sed dicitis, quomodo bellum foris geremus, qui domi necdum benè quievimus? recuperanda ſunt priùs, & è poteſtate Moſchorum vendicanda, viq; recipienda, ea quæ ſuperiore bello amiſimus. Ita quidem, ſed Moſchi de ijs omnibus cupiunt vobiſcum amicabilem inire transactionem, quæ ſi videatur vobis ſine integra reſtitutione amiſſorum adeò difficilis, ut neq; ad interpoſitionem Sacratiſsimi Cæſaris, & aliorum Romani Imperij Principum, eam admittere poſsitis, inducias ſaltem icite; certum enim eſt, tempore magìs geri bella, quàm armis, & ſatiùs longè aliquam corporis partem detegere, ut alias magis injuriæ obnoxias tegas: ſatiùs quoque & conſultiùs tranquillitatem domeſticam in eum modum procurare, quàm poſt tot calamitates & innoxiæ plebis, quas jam ferè à quindecim annis aſsiduis bellorum procellis jactata pertulit, nova iterum intra parietes domeſticos bella ex bellis ſerere.

Agite ergo, & depoſitis cum Moſchis diſcordijs, ſi non abjectis, ſaltèm intermiſſis, nos in communi hoſte communibus viribus propulſando juvate. Quo facto, etiam Moſchorum Imperator à

nobis in societatem armorum eò facilius allicietur, qui si cum valido gentis suæ exercitu bellum Turcis intulerit, ad recuperanda ea loca circa Tanaim & Mœotidem, quæ aliquando amisit, multùm profectò rebus Turcicis obesse, nobis verò prodesse poterit.

Etsi nulla sit consilij hujus ratio, nonne vos satìs movere, vestrósque animos sollicitare debeat miserabilis aspectus vicinorum populorum, ut *Homoglottûm* fratrum ac gentilium vestrorum, Slavorum, Croatarum, Moravorum, Silesiorum, Bohemorum, &c. an pudorem vobis non excitent, tot in dies cœdes, tot vincula, & fumantia latè incendia villarum, ultorem eo ipso poscentia? crudeles estis, si non succurritis: impij, si nos veluti piacula quædam hosti dilacerandos sinitis; verendúmque est ac seriò expavescendum, ne tandem hâc inclinatione rerum *Magog sit* (juxta sermonem Domini apud Ezechiel:) *Princeps capitis Mosoch*; Princeps scilicet (ô Dij meliora!) universæ Henetæ seu Slavonicæ gentis: de qua jam antè quadraginta circiter populos in Asia & Europa sub jugum misit.

Proh ! pudeat nos fortunæ noſtræ, turpe tum nobis, tum univerſo Sarmatico nomini turpiſſimum, eos (ita me mala nóſtra dicere cogunt) Dominos ferre ac revereri, quos ante pauca ſæcula, infamis ille Scythiæ vicus, vix ſervos perferre potuit, & qui latrocinijs tantùm ac rapto vivere aſſueti, eò creverunt hodie, ut nobis extrema quæque audeant minitari. Proinde neceſſariò ſubeunda nobis eſt, quantalibet belli hujus contra tam immanem hoſtem magnitudo, ut in tuto nos, quaſi reliquiæ gentis, vivere poſſimus : ſumenda libenter & properè arma, ut præciſis tandem tam diutini metus nexibus, fugatóq; ex veſtibulis hoſte, tutiorem poſt hanc, feliciorémq; degamus vitam, & in perpetuum libertate fruamur.

Deniq; Chriſtiani Principes omnes, hìc animis adeſte, & ſi pulchrum ducitis vos vitámq; ipſam, ſi & Patriam fortunásq; veſtras contra Ottomanicam rabiem ſervare cupitis, arma capeſsite ; nam ſi aliquando, jam unà libertas, jam ſervitus perpetua, jam totius rei ſumma verſatur, jam omnia hæc in alea poſita.

Agite ergo, ac tempeſtivè malo obviàm

viàm ite : ſemel aut fortiter moriendum, aut arripienda poſſeſsio tranquillioris vitæ, pariter & libertatis; ſi huc-uſque impediêre vos aliqua rerum momenta, nunc nè ignavia aut inanis pavor vos impediat, enitendum eſt. Nolite terreri, ne hoſtibus magis atq; magis audacia creſcat, ſed unà omnes ut par eſt, conſilijs non tumultuoſis & turbidis, ſed ſedatis & quietis, rem tantam capeſsite, veſtrósq; cogitatus reſolutione heroicâ confirmate.

Moveat vos commune vinculum, & impendens nobis omnibus extremum malum, ad quod avertendum audacter arma ſumite, ac ſtrenuè adverſus Capitales hoſtes cum æterna nominis veſtrī gloria pugnate.

Meminiſſe hìc oportet vos, ac potiſſimùm Germaniæ Principes, illius famoſi ſed infauſti vaticinij : *Germaniam Turcarum prædam futuram, corporis & ſcelerum mole hanc nobiliſſimam Europæ plagam oneraturos Mahometanos, niſi in tempore præveniantur, Coloniámq; Agrippinam, miſeriarum theatrum futuram.* Quod longè ſuperi avertant.



MOTIVUM II.

Ab æquo & justo.



Vandoquidem illud maximè in rebus omnibus agendis, ac præcipuè in assumendis armis, torquet mortalium ingenia, & sollicitudinem exaggerat militarem, priusquàm gladij cominùs in hostem stringantur, scire, unde justior esset causa: operæ pretium video, ut hìc omninò justam æquè ac honestam præsentis belli rationem demonstrem: quæ etsi justissima eo ipso sit, quia ad repellendam tam immanem hostium vim necessaria, tamen ut meliùs cunctis pateat illius æquitas, elucidandam hìc paulò clariùs censeo, quò demum ipsa virtus vestra, Christiani Principes, felixq; eventus justiorem ostendat.

Bellum quod pro gloria Dei, pro tuenda Religione, pro salvanda Patria gereretur, nemo unquam veterum injustum reputavit. Hinc Moysi, hinc Josuæ, hinc Saulis, hinc Davidis, hinc Machabæo-

bæorum prælia commendantur. Hinc illi Demoſthenis clamores, quibus plenum exultabat apud Athenas theatrum, in Marathone, in Arthemiſio, in Salamina pro Patria defunctos commendantis. Hinc ex Romanis Horatij, Decij, Fabij & alij penè innumerabiles celebrantur, qui pro ſalute ſuorum civium ſe devovêre. Hinc & apud Germanos, Caroli, Rolandi, Conradi, Ottones, Henrici, Friderici: apud Bohemos VVratislai, Przemislai, Caroli, Ferdinandi: apud Polonos Boleslai, Caſimiri, VVladislai, Sigiſmundi æternis præconijs extolluntur, qui pro tutandis Chriſtianorum finibus maxima quæq; aggreſſi ſunt.

Et nobis adeſt honeſtiſſima ſimul ac juſtiſſima belligerandi cauſa adversùs illum hoſtem, qui Deum noſtrum blaſphemat, Eccleſias noſtras diruit, Sacra polluit, patriam peſſumdat, & omne Chriſtianum nomen ſtirpitùs evellere ſatagit, nullâ prorsùs à nobis irritatus injuriâ, ſed rabie quâdam horribili ſuccenſus in nos fertur, quâ cuperet, ſi nobis omnibus unicum caput eſſet, illud uno momento perdere, ſicq; omnia noſtra ſibi per ſummum ſcelus vendicare.

 Inju-

Injurias videamus, quas ille ipsâ crudelitate ſævior nobis intulit, vulnera, quæ Chriſtianæ Reipub: ſumma cum oppreſſione Orthodoxæ Fidei, inflixit, perpendamus : ſic enim & injuriæ magnitudo notior, & belli præſentis juſtitia manifeſtior erit.

Atq; ut exordiar à Terra ſancta, in qua primi noſtræ fidei flores apparuêre, Terra illa nobilis, terra lacte & melle fluens, an tota quanta ſub immani hoſtium jugo non ſterileſcit ? Heu pudor, heu dolor, fons & origo noſtræ ſalutis Sion ad hoſtes defecit ! Templum illud Salomonis famâ ſacræ Scripturæ clarum ac celebre, in quo Dominus toties prædicavit, Bethleem in qua natus eſt, Jordanem in quo baptizatus eſt, Thabor in quo transfiguratus, Calvariam in qua Crucifixus, ipſius Crucis poſſident inimici ! Sepulchrum quoq; Domini glorioſum, lectúmq; illum veneratu digniſſimum, in quo propter nos & vitam noſtram poſitus erat Redemptor, impuræ manus Turcarum attrectant : loca illa ſancta, loca benedicta, loca pretioſa, & Agni immaculati purpurata cruore, hoſtes fidei noſtræ conculcant. Taceo

Ale-

Alexandriam, Thebas, Memphim, ac omnem Ægyptum : taceo Damaſcum, Tyrum & Sidonem : taceo Antiochiam, in qua primum Chriſtianorum nomen eſt auditum : taceo Epheſum, & alias Apoſtolicas Sedes in Aſia perditas : taceo ſeptem Eccleſias Joanni Apoſtolo & Evangeliſtæ perquam familiares : & quid Hieroſolyma novi ac veteris teſtamenti Mater, an ſola illa non eſt ſatis deploranda ? Porrò tranſeat omnis Aſia, omnîsq; Affrica : Europam inſpiciamus, an parum hic perditum ſit ? Conſtantinopolis Orientalis Imperij caput, & totius Græciæ columen, hoſti in ſedem Imperij ceſſit, capta nobiliſſima urbs, quam Pauſanias primus condidit, Conſtantinus magnus inſtauravit, & in æmulationem antiquæ Romæ amplificavit. In ea gentis Imperator & ipſe Conſtantinus nomine interemptus eſt, capite ejus in lanceam affixo, & omnibus ſpectaculo dato ; turba ingens trucidata, templa Dei magni polluta, præcipuè verò illud nobile opus Juſtiniani Sanctæ Sophiæ vocatum, tetro Mahometis ritu fœdatum : Beatæ Virginis Matris Domini & aliorum Sanctorum imagines dele-

deletæ, altaria diſrupta, reliquiæ Martyrum porcis objectæ, Sacerdotes occiſi, matronæ & puellæ ipſæq; ſacræ Virgines ad libidinem raptæ: Nobiles urbis inter vina & epulas ipſius Turcarum Principis jugulati, omnia luctu, cœde, cruore, cadaveribúsq; plena erat cernere.

Salvatoris quoq; noſtri in cruce pendentis ſimulachrum in deriſionem & contemptum præcedentibus qui clamarent: *Hic eſt Chriſtianorum Deus*, in caſtra fuit delatum, ſputo, luto atq; omni fœditate jactatum, ac poſteà in cœno relictum. O nefas inexpiandum! ô ignominiam Chriſtianæ gentis! ô dedecus noſtri nominis ſempiternum! ſed quis cladem illius urbis, *quis funera fando Explicet, aut poſſit lachrymis æquare dolores!* horret animus eorum meminiſſe.

Pari ſcelere oppreſſæ ſunt & aliæ quàm plurimæ olim famâ rebúsq; potentes in Græcia urbes: nam ubi nunc Thebæ, ubi Athenæ, ubi Mycenæ, ubi Lariſſa, ubi Lacedæmon, ubi Corinthus, ubi alia memoranda oppida, quorum ſi muros quæras, nec ruinas invenies! imò aliquorum neque ſolum in quo jacuerunt, poteſt oſten-

ostendi, ut neque jam Græciam in ipsa Græcia videre sit.

Cladem Græciæ sequuta est jactura aliorum quoq; Regnorum, ut Macedoniæ, Albaniæ, Bulgariæ, Cypri, Serviæ, Bosniæ, Dalmatiæ, Slavoniæ, (heu quàm magna Christianitatis portio!) Et quid dicam de Hungaria? Regnum olim florentissimum, duorum Archiepiscopatuum, & quindecim Episcopatuum Basilicis celebre, tótq; Ecclesijs Collegiatis, & Monasterijs quàm opulentissimis clarum, jam sub crudeli jugo hostium gemit ferè totum, oppressâ Orthodoxa Fide, conculcatâ nostrâ Religione, & Christi nomine undique eliminato, ac dato ludibrio.

Nova sunt hæc & aliqua sub oculis nostris gesta, quæ commemorare, velut vulnera quædam attingere tædet: si modò oblivisci unquam pateretur animus, vel silentio tegendæ forent tot fidelium populorum calamitates, & tot crudelissima gentis scelera.

Quid ergo in tanto damno, in tanta injuria dicemus? an de justitia belli adversùs hæc monstra hominum dubitabimus, qui meram barbariem atq; truculen-

culentiam spirant, qui sanguinem nostrum sitiunt, qui cœco furore in nos ruunt, qui cœdibus saturari non possunt, qui sacra Dei nostri omnia polluunt & exterminant !

Itanè impunè hosti cedet violentè acta in nos Tyrannis? impunè tot ab eo inflicta Christianitati vulnera ? impunè tot direpta vicinarum Provinciarum oppida ? impunè tantæ hominum utriusq; sexûs cœdes, agrorum devastationes, incendia ? profectò nimis obtusi cordis sumus, si hisce non movemur ; cum vitulis marinis, cum Druso dormimus, Lethargum patimur, si tot tantisque malis agitati è somno surgere, & arma ad repellendam hostis sceleratissimi vim capessere nolumus. Væ nobis omnibus, væ nobis ; ut qui nati sumus videre oppressionem sociorum nostrorum, contritionem populi DEI, & exterminium sacræ Religionis ! videmus fratres nostros in manus inimicorum rapi, diversis excarnificari supplicijs, & non movemur : videmus indies Christianorum Provincias ab infidelibus invadi, & non angimur, & quasi nostrî nihil interesset,

per

per ſummum otium omnia diſſimulando toleramus.

Quot ecce jam Regna ab Evangelio ſunt aliena? qot fideles populi ſub jugum infidelium dati? quæ gens jam non hæreditavit terram Domini, & non obtinuit ſpolia ejus? ſive Orientem reſpicimus, ſive Meridiem, ſive in Arcton vertimus oculos, omnis Eccleſiæ compoſito ablata eſt; Ancillam videmus, quæ fuit libera & Domina gentium.

Ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra magna ex parte deſolata! coinquinaverunt eam fædiſſimæ ac ſpurciſſimæ gentes. Et quomodo dignè poſſumus vivere, niſi cogitemus de tanta infamia ſurgere, ac priſtinum recuperare decorem? Nihil enim eſt turpius viro forti, nihil magis contra decorem nominis Chriſtiani, quàm per ignaviam pati jura ſua, & ſacra ſua à barbaris profaniſque gentibus occupari, pollui, & quaſi compreſſis (ut ajunt) manibus ſedere, ubi jus omne in vi armisq; videas. Nam quid aliud Turcæ ſuâ illâ vi nefariâ intendunt, niſi ut Imperio Ottomanico, & uni Mahometeæ legi cuncta ſubmittant? Si poteſtis hoc ferre Principes ac

Populi Christiani, manete domi, nec jam de subvertenda formidabili Turcarum potentia cogitate. At, si servile jugum horretis, si contumeliam Dei tolerare nequitis, si pudet à semiviris Asiaticis opprimi, aliter vobis consulite.

Deniq;, si cor virile vobis est, cor nobile, cor altum, cor Christianum, arma plenis manibus arripite, & tam immanem vim, adversùs quam non publicis nos tantùm, sed privatis quoq; singulorum odijs armatos esse oportet, vi etiam, eáq; justissimâ repellite : ira vestra recidat in ipsa iræ instrumenta, sicq; vos dignos Christiani nominis Heroas, strenuos tum Religionis tum libertatis Zelotas, justósque tot scelerum ab impia gente patratorum Vindices demonstrate. Videtis enim, quòd non de rebus levioribus sit hoc bellum, sed est pro Patria, pro liberis, pro socijs, pro libertate, pro vita, pro fide, pro Religione, pro SS. Martyribus, pro magnis Apostolis, pro gloriosa Matre DEI Advocata nostra Regina Cœli MARIA, pro Filio DEI, pro Redemptore, pro Salvatore, pro Spiritu Sancto, pro Patre Æterno, pro divinissima Trinitate, quam impijssimus

ſimus ille Mahometes perſequitur, committendum eſt prælium.

Cogitate ergo, quid Deo & Patriæ debeatis: mementote profeſſionis veſtræ, quam in Baptiſmate ſubijſtis: perpendite, quantùm maximè Deo tenemini, atq; ita reddite vicem pro ſuſceptis beneficijs. Eſtote grati altiſſimo, qui vos creavit ex nihilo, nec animalia bruta aut lapides, ſed homines rationales eſſe voluit. Et cùm primi Parentis culpâ damnati eſſetis, ac mancipia facta dæmonum, miſit Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, qui morte ſuâ mortem veſtram deleret.

Stupenda & inæſtimabilis charitas, ut ſervum redimeret, filio ſuo non pepercit. Dominus JESUS in cruce pro nobis inter latrones pependit: innocens Agnus, imò ipſa innocentia, ipſa juſtitia inter facinoroſos deputata eſt. Specioſus formâ præ filijs hominum, everberatus, laceratus ab impijs, deformis apparuit. *A planta pedis uſq; ad verticem, non erat in eo ſanitas, nec ſpecies, neque decor.* Sic placuit Patri, qui propter peccata noſtra tradidit illum; *propitiatorem enim propoſuit eum per fidem in*

ſan-

sanguine suo : iniquitates nostras ipse portavit, & livore ejus sanati sumus : qui cùm inimici essemus, reconciliati sumus DEO, per mortem filij ejus.

O crudeles nos Christiani, ô ingrati! ô durissimi tardissimiq; cordis ! possumusnè ista audire, & non animo commoveri ? non cupere pro illo laborare, aut etiam pro illo mori, qui pro nobis mortuus est ? De honore illius agitur, qui nos de Diabolica servitute pretiosissimo sanguine suo redemit ; de Christi nomine disceptatur, de Fide orthodoxa, de Religione nostra, de sacrosancto Evangelio : adversùs hæc Turcæ militant, hæc evertere ac prorsus delere omni vi conantur.

Quàmvis autem his obscurari non possit Divina Majestas, nec ipsius gloria minui ; decet tamen nos servos illius, nos Christianos, ea quæ in contumeliam ejus fiunt, totis conatibus avertere atq; ulcisci.

Non tulit Phinees adulterantem Zambri, sed zelo incensus Domini, Madianiticum scortum, & illum interfecit. Vidit Matathias sacrificantem idolis Hebræum, & doluit, & contremuerunt renes

renes ejus, & accensus est furor ejus, secundùm judicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram.

Ecquis igitur nostrùm, nisi Deo pariter & hominibus invisus, etiam hìc justo indui zelo recusaret? quis non ad persequendum DEI inimicos animum erigeret? quis non arma libens sumeret, & in apertum etiam rueret discrimen, pro Deo, & pro gloria nominis ejus, pro qua mori, vah! quàm dulce mori!

Proinde, adest nunc adest Christiani Principes, Deo agente, qui vos usq; in hæc difficillima tempora Christianæ Reipub: servavit, magna vobis insignis gloriæ materia. Adest occasio nobilis pro gloria DEI, ac juxta pro libertate Fidei, & pro tuenda patria adversus impios hostes quæq; maxima subeundi, & omnes tam veteres, quàm novas vestras vestrorúmq; injurias ulciscendi, nec privatas istas tantùm, sed & publica id genus mala, atq; tot oppressæ, nè dicam multis in locis extinctæ fidei ludibria: si cum robore Provinciarum vestrarum, nondum plenè desperatis rebus adesse velitis. Et hoc à vobis requirit justus hono-

honoris DEI zelus, requirit ipſa Chriſtiani nominis pietas, requirit & ipſa juſtiſſimi belli ratio, & quod curam Patriæ attinet, expoſcunt id omnium conſilia atque deſideria ſingulorum & publica vota : maximè verò hoc à vobis efflagitant omnes Hungariæ, Croatiæ, Auſtriæ, Styriæ, item Bohemiæ, Moraviæ ac Sileſiæ Status, armis ſolidè inſtructi, & jam non niſi communi expeditioni erectis animis intenti, nihil præter veſtra ſigna expectantes.

Miſerandam ſociorum, & innoxij Chriſtianorum ſanguinis vicem conſiderate, neque illos victimam offerri hoſti patiatur generoſus veſter animus. Benè poſtmodùm oſtendet omnia, an probè vel improbè facta, eventus belli juſtus judex.

Neq; dubitandum ullatenus de victoria : Deus enim, cujus providentiâ cuncta reguntur, & qui nemini vim inferri, nec injuſtè quemquam vexari patitur, & cujus cauſa hìc præcipuè agitur, ipſe hoſtes in conſpectu noſtro conteret, nobisque de cœlo victoriam mittet. Dextera ejus, quæ hucuſq; ſemper in ſingulis electos ſuos egregiè eſt comitata & ſecuta,

pugna-

pugnabit miraculis, ubi nos viderit accinctos gladijs.

Atque ita nemo retorquenda miretur arma in Turcas, quæ ipſimet nobis in manus tradiderunt, quæ & ipſa æquitas & natura ad propulſandam eorum immanem vim requirit; juſtè enim bellat, qui bellat, ut vim ſibi illatam repellat.



MOTIVUM III.

Ab Vtili.

PAtet, ut arbitror, ſacri hujus belli, cujus claſſicum cano, non tantùm præ foribus urgens neceſſitas, verùm etiam ipſa juſtitia & æquitatis ratio. Nunc ex eo, quæ ſequatur utilitas, breviter exponendum eſt; cur enim ſe bello quiſquam immiſceat, niſi & bello ſe juvet? Nos utilitatem maximam exinde conſequemur, ſi bello hoc præſenti cuncta illa mala, quæ cervicibus noſtris imminent, & extremam minantur perniciem, à nobis forti animo propulſabimus. Videmus

amus enim manifestè, quòd hìc una libertas, hìc servitus perpetua, hìc totius rei summa versetur; hìc patriam, imperium, fortunásque nostras, & quidquid amabile homini Christiano est, omnia ceu in alea posita videmus: quæ si integra inviolatáq; servaverimus, quantum non inde emolumenti capiemus? tum imminens à nobis Mahometis procul excutiemus jugum, tum paci tranquillitatiq; perpetuæ consulemus.

Accedent opima spolia, arma, equi, vestes, argentum, aurum, servi & alia hujusmodi, quæ præsens expeditio repromittit, & quæ honestissimi hujus belli victores adipiscemini, sunt enim & hæc more gentium expetenda: neque meliora quæsiêre olim Romani majorésque nostri Sarmatæ ac Germani belligerantes.

Nunc ergo reintegrandi ampliandîq; fortunas nostras spes & occasio adest, ut qui hucusq; domesticis seditionibus bellîsque civilibus Penates nostros ad summum exhausimus, jam denuò illos justissimis barbarorum spolijs, & opulentissimâ gentibus Orientis detractâ prædâ ditare possumus. Præsertim vobis

vobis Germani, quibus Imperij dignitas credita eſt, pulcherrima jam ſervit occaſio pomœria Imperij veſtri Orientem versùs dilatandi, ac de poteſtate hoſtium vindicandi tot populoſiſſimas urbes, tot felices Terras, tot nobiliſſima Regna. Quod à vobis exigit, tum Imperij dignitas, tum virtus veſtra, tum quoq; exemplum Majorum veſtrorum, quibus nil magis glorioſum fuit, nilque magis in ardentibus deſiderijs, quàm ut Imperij ſui fines longè latéq; extendere poſſent: & quod in votis habuerunt, hoc & actu cum æterna ampliſſimi nominis ſui gloria præſtiterunt.

Antiquæ Germaniæ fines, ut Veteres tradunt, ab Oriente Viſtula, vel potiùs ſecundùm quoſdam, Odera fluvius, Sarmatici ſeu Sudeti montes, qui Bohemiam â plaga Septentrionali cingunt, & Pannoniæ ſuperioris limes fuêre: ab Occidente Rhenus: à Meridie Danubius: ab Aquilone mare Balthicum & Oceanus. At ſucceſſu temporis quantùm extra hos terminos ſe protendit? trajecto enim Rheno, Germani veteres, omnem illam regionem, quam olim Hœdui, Sequani, Mediomatrici, Treviri,

Vangiones, Menapij, Belgæ incolebant, ſuæ poteſtatis fecerunt; Danubio quoque ſuperato Rhetiam, Vindelicam, Noricum, ſuperiorem Pannoniam & partem Illyrij: fines item Helvetiorum, ejectis inde Gallis, occupârunt. Nec Sarmatis, eorúmq; vicinis Boijs & Oſis res integra manſit, ſed Boijs totaliter ejectis, Oſis verò & Sarmatis ad Carpathi juga uſque depulſis, totum illum nobiliſſimarum terrarum tractum, quo jam continentur Bohemia, Sileſia, Moravia, & pars cis-Danubianæ Auſtriæ & Hungariæ, imperio ſuo adjunxerunt, & quò magis ijs noviter adjectis finibus tuti eſſent, adversùs Oſos ferociſſimam tunc de Pannonibus gentem, & Sarmatas, fortiſsimos quosq; è medio ſui pro tuendis ijsdem finibus ſelegerunt, quos Marcomannos, id eſt limitaneos nominârunt; & hi eam portionem terræ obtinebant, quæ antea Oſorum fuerat.

Longum eſſet hìc referre alia Germanorum verè glorioſa in dilatandis Imperij ſui finibus geſta, quemadmodum & illas, quas aliquando Romanæ Reipublicæ intulerunt clades & moleſtias: qui etſi demum annis ſubſequentibus Romanorum

norum fortunæ primò, deinde Hunnorum, ac tandem Henetorum ferociæ cedere coacti fuerint: posteà tamen & ipsi de Romanis, de Hunnis, atq; etiam de Henetis, déq; alijs diversis gentibus, sæpenumero triumphârunt, in eámq; gloriam denuò redierunt, ut ex omnibus totius Europæ gentibus, soli illi Majestate Imperiali digni efficerentur.

Et vos igitur magni, vos inclyti Germani, vos genuina tantorum Heroum soboles, pares animos non tantum in conservanda, sed quoq; dilatanda ac propaganda Imperij excellentia assumite. Mementote Majorum vestrorum, qui ecce omnes vicinos, ac longè positos populos, armorũ gloriâ superârunt, qui timentes nullos, omnibus terrori fuerunt; qui etiam, ut dixi, speciali quâdam prærogativâ, præ alijs cunctis gentibus Imperium hæreditârunt, quorum intuentes æterni nominis gloriam, imitemini & acta: præsertim cùm omnibus his rebus abundetis, quæ necessitas belli requirit, vobis enim sunt fortissimi milites, peritissimi Duces, vobis arma in copia, vobis nervus belli sufficiens pecunia, ut dicere ausim, nullam nationem tam grandem

ac

ac potentem esse sub cœlo, quæ posset meliùs uti suis viribus ad propulsandum communem hostem, & vindicandam ex servitute in libertatem Græciam, sibiq́ue vendicandam, sicut estis vos : modò sedatis intestinis motibus, junctisq; signis & manibus, id tam nobile facinus aggrediamini, toti futuræ posteritati cum admiratione memorandum.

Fatalis enim est Germania Imperio Ottomannico, si composita domi, arma & robur adversùs illud convertat, nîlq; magis reformidant Turcæ, quàm concordes Germaniæ populos, habere hostes ; ut idcirco Muphtis, qui est summus superstitionis Mahometanæ Antistes, cùm nuper in Divano, seu publico consilio, de summa præsentis belli deliberaretur, censuerit à bello Hungarico abstinendum, neque irritandum Romanum Cæsarem, ne bellicosissimi Germaniæ populi, in societatem armorum asciti, rem Turcicam in Hungaria & vicinis Provincijs cogant in apertum discrimen. Pacem potiùs cum Cæsare servandam, cùm amicitiam colere & imperata facere non abnuat, temerarium sanè, & præter omnem maturi consilij

ratio-

rationem videri, quæſitis ultrò belli cauſis, eos laceſſere, à quibus habeas, quod timeas. Etſi autem in hanc illius ſententiam itum non fuerit, prævalente apud Mahometem ſupremo Purpuratorum Principe, Hungarici belli cupidine ſuprà modum accenſo: patet tamen Germanos vel maximè Turcis eſſe formidini.

Agite ergo Germani, viri fortes, ipsáque virtute majores, patrias recolligite cum ſelectiſſimo robore vires, generoſos aſſumite Spiritus, audaces excitate animorum motus, & quod in vobis exhorreſcunt barbari, manu forti id ipſum oſtendite, îdq; eo impetu, quem juſtiſſima ira excutere poteſt, in ſcelerata capita eorum actu egerite.

Invitant vos ecce ipſimet hoſtes, qui nullius magis quàm veſtra expaveſcunt arma: invitat & pulcherrima occaſio, non tantùm recuperandi amiſſa, ſed ulciſcendi quoq; omnia nova & vetera in nos aliquando acta hoſtium delicta. Accedit: cùm Romani Imperij hæredes ſitis, æquum & juſtum eſt, ut Romaniam quoq; cum ampliſſima Sede Conſtantinopoli, à poteſtate hoſtium vindicetis, ſuîq; juris faciatis.

Qua in re utinam quoq; Poloni hanc oblatam ultrò à Deo immortali occasionem arriperent, & ſpe recuperandæ Moldaviæ, Valachiæ, & Beſſarabiæ, quas Provincias in clientela Regum ipſorum fuiſſe aliquando conſtat, nobiſcum arma conjungerent, debellari poſſent penitùs (palam id omnes affirmant) expellique Turcæ, & à tam diuturna Orientalium in Europa partium poſſeſſione deturbari. Facilis enim ductu eſt terreſtribus Polonorum copijs via in Thraciam, cùm nulla obſtacula, nullæ arces, nulla montium juga ſint obvia, ita ut trajecto in Valachiæ finibus Iſtro, per apertos & planos Bulgariæ campos, ad uſque Imperij Sedem Conſtantinopolim, irrumpere, ac ferro & igne terrorem incutere poſſent. Quod facerent & Ruſſi, quorum maritima arma ſingulis ferè annis omnia Euxini maris infeſtant littora, intercipiunt navigia, urbes diripiunt, eò ſæpiùs deductâ re, ut dum vicina Conſtantinopoleos oppida, eorum gemunt cœdibus, & collucent incendijs, ille tam formidandus toti Orbi Tyrannus, à conſternata urbe hoſtiles ignes impunè aſpicere cogatur.

Et quamvis ad reprimendas has excursiones novum quoddam fortalitium ad Tyram fluvium ante biennium extrui jusserit, jámq; opus cœptum fuerit, destinatis ad hoc septem millibus partim, operariorum, partim armatorum, qui operarios si quæ ingrueret vis, tuerentur: perfici tamen non potuit, propter Kosacos, quorum valida manus collecta sub Duce Syrko, novos istos Colonos ingenti ausu aggressa fuit, fudit, fugavit, molémq; erectam disjecit; ac solo æquavit. Quod utinam & ad ostia Borysthenis Bogúmq; fecissent.

Quis igitur non possit incuti Turcis terror, & quæ utilitas inde non sperari, si ab Occidente Germania, à Septentrione Sarmatia, tot fortissimi ac potentissimi populi coadunatis viribus adversùs illos consurgerent? neq; deessent occasioni suæ Veneti & Melitenses: hi, ut Rhodum, illi Cyprũ & alia vi sibi quondam erepta recuperarent: sicq; necesse foret & à Meridie, cogi in summum discrimen res Turcarum, ut Mahometi etiam in amplissima Sede Byzantina angustum esset. Si enim Parens hujus Ibrahim, audito VVladislai IV. Polonorum

Regis contra se bellico apparatu, trepidârit, ac de transferenda ocyus in Asiam Regiâ Sede seriò cum suis purpuratis secretiora agitârit consilia : quæ etiam ad effectum deduxisset, nisi piæ intentioni optimi juxta ac bellicosissimi Regis, qui medius inter arma Christianitatis mori constituerat, Polona tunc contradixisset Nobilitas : quid non faciet iste, si à tribus partibus, à tot potentissimis gentibus, à robore totius Christianitatis se premi viderit ? in tutiora Asiæ convasatis malè partis thesauris secedere cogetur, Europæ Regna vobis Christiani Principes in prædam, aut malim dicere in possessionem relicturus. Ita impius Tyrannus, dum spolijs nostris inhiat, spolium ipse erit, & nobis latum præbebit malè apud se conceptæ victoriæ documentum : augebit, ampliabit rem Imperiúmque nostrum, dum vel maximè absorbere cupit. Proinde emolumentum quàm magnum, quàm & ingentis nominis gloriam afferre vobis potest præsens hoc, si illud junctis viribus contra communem hostem suscipiatis, sacrum bellum : nisi planè fortuna immitis, vel immotus fatorum ordo, vel supplicio quidem propior apud

Superos ſordium Chriſtianorum indignitas aliquem obicem inijceret, ad ea omnia impedienda, turbandáque, & ad poſtremam fortaſſe cladem nomini Chriſtiano infligendam. Quod tamen avertat DEUS.

Porrò, ſi alicui veſtrûm perfectioris ſpiritûs, videatur puſilli eſſe animi lucris tantûm inhiare terrenis, ac temporaneæ vani nominis gloriæ; ſi mens generoſa altiora affectet præmia, & cœleſtes aſpiret in theſauros: & talia cum uberrimo fœnore vobis ſacra iſta expeditio repromittit. Et ut id citò explicem, Regni cœleſtis poſſeſſio Chriſtîq; hæreditas vobis offertur, & quidem non ſolùm vincentibus, verùm etiam fortiter occumbentibus. Nam ſi omnibus, ut inquit Orator, qui Patriam juverint, auxerint, defenderint, ſit in cœlo definitus locus, in quo beati ævo ſempiterno fruantur: veriùs & certiùs hoc illis promittitur, qui honorem Dei, qui Religionem Chriſtianam, qui Orthodoxam fidem tuebuntur, & adversùs impiam gentem, invictis animis bellum gerent.

O igitur nobile bellum! ô felix præmium! ô expectabilem pugnam! ex qua

ſive vincimus, ſive vincimur, hæredes vitæ æternæ evadimus. Majoribus noſtris, cùm eſſent adhuc gentiles, nullum fuit grave bellum, quod pro patria ſuſcepiſſent: nullam illi mortem miſeram putavêre, quæ pro Republica ſubiretur. Sed quæ Reſpublica major, melior, aut præſtantior, quàm noſtra Chriſtiana! quæ Patria dulcior aut nobilior, quàm noſtra illa cœleſtis, ad quam cuncti aſpiramus, formoſa Hieruſalem! illi cùm pro Patria morerentur, tamen maximè exulabant: nos cùm morimur, tum finimus exilium, tum Patriam ingredimur. Feſtinemus igitur ad hoc bellum, in quo morientes, veram inveniemus vitam: nam hæc, quam vivimus vita, non verè vita eſt, ſed potiùs mors, aut ſi quid aliud, non niſi labor & dolor. Et eſto Neſtoreos quis vivat annos, aut Mathuſalem impleat ætatem, quid illi tandem, poſtquàm curſus peractus eſt? breve eſt, quidquid finitur, & vanitas ſupra vanitatem in his ſpem ponere, quæ prætereunt. Alia igitur quærenda eſt vita, quæ nos immortales æternúmq; felices reddat: ad quam etſi ſint multæ viæ, hoc tamen tempore, nul-

nullum iter certius, nullum ſecurius, nullum expeditius, nullum glorioſius eſt, quàm ſi contra hoſtes fidei arma ſumentes, puris & conſtantibus animis bellum geramus. Hæc gloria, hæc immortalis vita, ac penes ineffabilia gaudia præmiáque æterna eos manent, qui egregiè ac ſtrenuè, pro Deo, pro Religione, próq; cœleſti patria dimicando ceciderint. Ad perpetuam felicitatem, & inceſſabilem tranquillitatem cuncti transmigrabunt: ubi æterni Regis aſpectu, laurea Martyrij decorati, perpetuo ac ſempiterno ævo perfruentur: Hique cœleſte melos, quàm ſuaviſſimos concentus & hymnos, inter Choros Angelorum immortalitatis decore veſtiti glorioſè referent, hoſtésque ſuos impijſſimos, in æternæ calamitatis abyſſo dilaniatos & extortos contemplabuntur.

O felix mors, quæ vitam perimit temporalem, concedit æternam! ô fauſtum ac deſiderabile bellum, in quo ſi vincis in terra, ſi verò vinceris, in cœlo triumphas!



MOTIVUM IV.

A Facili.



Mnis Senatus, omnîsq; populus, cui de bello gerendo consultatio eſt, iſta diligenter ac rigidè, & preſsè diſcutere debet, ne quid agat, cujus deinde pœnitudo ſequatur : turpe eſt enim, ut Scipionis proverbium fuit, poſtquàm erratum eſt, dicere : *Non putâram*. Bellum ergò geſturus, primò quærat, an juſtum ſit ac neceſſarium ? deinde an utile ? tandem an facile ? niſi enim hæc omnia concurrant, non eſt cur providis atque prudentibus viris belligerandum ſit. Ego monſtravi jam ſacri hujus belli non juſtitiam tantùm, verùm etiam neceſſitatem ; explicui quoque & oſtendi ejus utilitatem. Nunc, quod eſt ultimum, de facilitate gerendi belli pauca ſubnectam: fruſtra enim juſtum bellum, fruſtra neceſſarium, fruſtra utile ac commodoſum probaverim, niſi etiam factu facilè demonſtrem. In quo illud vel

maxi-

maximè animadvertendum est, nè major hostibus quàm nobis sit scientia rei militaris, nè frequentior usus, nè pecunia copiosior, nè potentia superior, nè Deus ipse faventior : quinimò, neque si pares utrinq; vires fuerint, bellum suasserim. Nam teste Octaviano Cæsare, qui prælium sine certa prærogativa committit, similis est ei, qui hamo piscatur aureo: facilè namq; plus amittere, quàm lucrari potest.

At mihi, seu vestram Germani virtutem mente perpendam, seu vestros Itali ac Poloni audacissimos Martémq; ipsum spirantes vultus considerem, multò vos præ cunctis Ottomanici Imperij gentibus bello aptiores, multò expeditiores, peritiores, audentiorésq; video. Vobis enim homines, vobis equi, vobis arma, vobis pecuniæ abundè suppetunt : & ubi obsecro tot clarissimi Principes ? tot generosi Proceres, tot fortissimi equites, tot potentes civitates, tot divitiæ, tôt auri, tot argenti, tot ferri mineræ ? ubi tanta hominum multitudo, tanta Juventus, tantum animi, tantúmq; roboris ? non est profectò ulla manus Turcica, etiamsi totum robur Græciæ & Asiæ

unà ſumatur, tam valida ac potens, quæ fortitudini veſtræ æquiparari poſſit. Noſtis, quanti faciat Aſianos Romulus ille Virgilianus, cujus ſunt ad eos verba: *Sinite arma viris, & cedite ferro.* quaſi non eſſent armis tractandis digni, neq; ad pugnandum habiles, ac idonei.

Unde non ſine cauſa Veteres Aſiana bella muliebria putaverunt. Alexander magni Alexandri propinquus, cùm bellum gereret in Italia, *Frater meus,* inquit, *in Aſia cum fœminis pugnat, mihi verò cum viris certamen eſt.* Julius Cæſar cùm de Ponticis gentibus triumpharet, quæ Aſiam incolunt, in curru ſuo hæc verba juſſit ſcribi: *Veni, vidi, vici;* acſi ſolo aſpectu ſuperatos dicere Aſianos. Godefridus ille quoq; Bullioneus, & alij, qui ſecum in Aſia militârunt, parvâ ſæpè manu ingentes Turcarum exercitus deleverunt. Similiter Græci, illuſtres quondam animæ, nequaquam vigorem antiquum retinent: degeneraverunt ferè omnes, qui Turcis parent, neq; amplius in armis priſtinum referunt ſpiritum: ceciderunt omnia cum Imperio; neq; mirum, non poſſunt enim ſimul ſtare fortia pectora & ſervitus.

Quò igitur merito, aut quo titulo vos Viros fortissimos sìmul ac bellicosissimos, Asiatici illi molles, & Græci eorum similes, antecellere possent, qui nec dignè conferri valent? vos nati ad arma, illi vix extracti: vos armis solidè instructi, illorum pleriq; inermes: vos loricæ thoracésq; protegunt, illos culcitra tegit: vos balistas tenditis, illi arcus trahunt: vos equos regitis, illi ab equis reguntur. Vos deniq; non tantùm nati, sed nutriti quoq; in armis, illi copias suas, exceptis Janiczaris, Asappijs, & Spaholanis, quos expeditissimos habent, & quorum summa vix aliquando quadraginta millia excedit, ex agris petunt. Vobis (ut loquar cum Romulo suprà dicto) *Flectere ludus equos, & tendere spicula cornu*: vos omne ævum ferro teritis: vestra juventus torneamentis intenta est, aut quatit oppida bello: nec tarda senectus vestras vires debilitat, mutátq; vigorem: caniciem galeâ premitis, sempérq; recentes bellorum habere causas cupitis, & vivere in armis. Illis picta croco, & fulgenti murice vestis, desidiæq; cordi sunt: inexperti, timidi, ac plerúmq; inviti coactique contra vos bellandi necessitatem

omnem ſubeunt. Invitus verò atq; timidus animus, quid magni gerere poſſit, dicat quisq; ſtrenuus miles.

Sed arbitratur fortaſſe aliquis meliores & ad bellandum aptiores hodie Turcas eſſe, devictâ potiore parte Regni Hungariæ, unà cum adjacentibus Regnis & Provincijs, quàm olim fuerint. At quales ſint in conflictibus & prælijs adversùs noſtros, unus nobis exemplo ſat eſt, Nicolaus Zrinius Comes, Banus ſeu Præfectus Croatiæ, ſtrenuus & armis & conſilio vir, ac multis noſtrâ ætate contra Barbaros geſtis bellorum titulis inſignis, qui ſæpè cum parva manu, ingentes Turcarum exercitus fudit & proſtravit, ac ſæpius Victor cum paucis evaſit, quàm cum pluribus alij exceſſere: tantóq; Turcis defacto terrori eſt, ut fulgentium armorum illius conſpectum, nunquam rectâ acie perferre poſſint: fugâ ſibi ſalutem quærunt, mox ubi de illo cum turmis adventante famâ percipiunt. Unde vix aliquid unquam à ſe juſto prælio partum gloriari poſſunt, dolis tantùm & inſidijs, aut ubi nulla vel exigua nimis obſiſtit vis, prout modò in Hungaria triumphant, ſicque magna adipiſcuntur Impe-

ria, majora in dies adepturi, ní citò à ve-
ſtro robore contraponatur eorum teme-
ritati obex. Nam omnia ſibi licere ſta-
tuit hoſtium ferox audacia, quando ſe-
mel rerum ſecundarum incremento de-
linitus eſt animus. Sed ſi vos, Chriſtiani
principes, unà conjunctos eſſe viderint,
arma veſtra profectò formidabunt, vires
perhorreſcent : vel ſi inſtare maluerint,
omninò victi confusîq; abibunt. Cum
his ergò vobis pugnandum eſt, qui non
niſi fugientes vincunt, cum his qui neq;
ferire, neq; feriri niſi in terga ſciunt.

Etſi autem contemnendus hoſtis non
ſit unquam, ne fortaſſe nimiâ hoſtis con-
temnendi licentiâ langueant militum vi-
res, evaneſcant animi, & ingenia ab ea
belli cura laxentur avertantúrq; : quip-
pe cùm ſæpè contemptus hoſtis ancipi-
tem fecerit victoriam, & cruentum edi-
derit certamen ; unde non ſine gravi
cauſa, ita cum fiducia ſui, ut ſine con-
temptu alterius ſit, gerenda eſſe bella,
præceptum primum antiquæ militiæ
conditores ſtatuerunt : tamen quis non
contemneret illud perditiſſimum homi-
num genus, quos & antehac ferociter
æquè ac feliciter Majores noſtri con-

tempsêre ? aut quis non deteſtetur pariterq; abominetur eam viliſſimam gentem, quæ omnis eſt ex ſervorum colluvie collecta, furtis & latrocinijs potiùs, quàm veris aſſueta prælijs.

Sed multitudine nos ſuperant Turcæ: eſto. nonne pauciores Chriſtiani perſæpè maximam belli laudem ex hoſte numeroſiſſimo tulerunt ? indignatur eo modo vincere præclarus miles, ubi nec ſingulorum virtus ſpectari, nec privatæ multùm laudis domum afferri poteſt. Quidpræterea momenti in majoribus eorum copijs ! quibus ſicut diverſa lingua, & alius armorum uſus, ita nec idem habitus animorum : confectus eſt enim eorum exercitus ex multarum gentium colluvione, Aſiatici diverſarum partium, Græci, Epirotæ, Illyrici, Hungari, Tartari, Valachi, Tranſylvani ; ibi vario ritu eadem ignari ſigna ſequuntur : neq; adhuc gravioris armaturæ uſum bene didicêre : rarò loricas, rariores thoraces induunt, nec galeas more noſtro lucentes oſtendunt : rarò teguntur corpora ferro : acinace tantùm pleriq; utuntur & arcu : parmâ ſe protegunt, & galeris piloſâ quâdam materiâ duráq; contextis.

tis. Quòdsi in vestras Germani inciderint acies, rigentes chalybe, in cataphractos equos, in rhomphæas, in tormenta & horribili sonitu mugientes ballistas, intelligent cum mulieribus se hactenus pugnâsse, nunc cum viris esse certandum.

Non est ergo quòd multitudinem Turcarum admiremini aut formidetis, neq; idcircò insuperabiles putetis: nam plus nominis semper, quàm virium ad bellum afferre solent; potior quoq; eorum pars est inermis, ignava & deses. Cùm res ad conflictum venerit, primi cadent & medij, ultimorum vix aliqua pars ad suos tutum receptum habebit. Primus barbarorum impetus acer ac repentinus est, post quem citò mollescunt, & enervati in fugam convertuntur.

Quare agite, & audaci manu, ad fugam quàm ad pugnam paratiores impellite, dissipate, & renovate hoc præsenti bello tot contra barbaros victoriarum à Majoribus vestris quondam obtentarum speciosam memoriam: neque, ut iterum dicam, eo usq; expavescenda est eorum multitudo, ut dum nimis multùm defertur illis, proprij decoris obliviscatur animus. Nam quò numerosior hostis, eò spe-

ſpecioſior laus veſtra, eò quoq; graviores ſpolijs hoſtilibus domum reverſuri.

De fortuna nihil eſt, quod timeatis vel dubitetis, Viri fortiſſimi, hanc enim incitabit Virtus veſtra, & virtutem adjuvabit illa, & quod maximè in hoc genere rerum gerendarum deſideratur, conſilia, conatúsque veſtros celeritate æquabit: quamvis pudeat aliquam fortunam fateri, quam non in manu atq; enſe poſitam habeatis. Dij namq; ibi eſſe conſueverunt, ubi ipſa quoq; ſtat æquitas. Veſtrum eſt igitur, ut conceptam omnium ſpem de virtute veſtra factis æquetis: nihil enim debet fortem virum tardare, per aquam (ut ajunt) per ignem, per invia quæq; permeabile iter habere conſuevit virtus.

Sed timet adhuc forſan quiſpiam veſtrûm, & in ancipiti ſententia nutat animus, non unum, neq; debilem adversùs nos Mahometem exercitum miſſurum, ſed & plures & validiſsimos: vel ipſum forſan venturum, ad continuandum in Hungaria victoriarum curſum, ſiquidem in Oriente pacata habet omnia, ipſiq; Perſæ ne hiſcere ipſi audent, ab una parte magni Mogor amici Turcæ clauſi

Impe-

Imperio, ab altera ipsius Turcæ ditionibus, & fortissimis limitaneorum copijs.

Fateor ista quidem alia tamen præsagit animus : quamvis non deberem spondere quippiam incertis animis, cùm futura in occulto sint, & omnis lateat eventus. Nihilominus, quod ad humanum ingenium & consilium attinet, promptum vobis rerum omnium remedium ostendam : quippe cùm nihil tam difficile sit, quod non hominis consilio expediri possit. Ingeniosa est ad sui tutelam natura, & quicquid justè geritur, felices sortiri solet eventus. Sed quid hoc pacto difficultatem augeo ? adsit Tyrannus cum sua tota prætoriana cohorte : adsit & Asiaticus & Europæus equitatus : adsint Bassæ & Beglerbei cum omnibus suis Spahis, Ulufagis, Carpicis & Isaaris : adsit deniq; Asia tota, & omnis illa quæ Turcico paret Imperio latè patens Europæa ditio. Vos autem Germani, Itali ac Poloni, decimum tantùm seligite virum, & contrà emittite, quem incutietis hostibus terrorem, experiemini ovantes ; Neq; erit, quod de victoria dubitetis ; virtus enim vestra spectanda magis quàm hostium uumerus :

rus : neq; consistit in multitudine exercitûs victoria belli, sed in virtute pugnantium. Et quàm validi sint ad pugnam Asiatici, quàm fortes Græci, ostendi suprà satis. Non putet Mahometes in his Provincijs esse Græcos, Tryballos aut Mysos, quos magis etiam quàm homines decet, fati sui ignaros, bonâ fide sibi traditos, aut internecioni dederunt, aut luminibus privatos, cæterîsque membris mutilatos deformârunt, pessimi progenitores ejus. Neq; existimet hìc bellum geri, prout cum Hungaris & Transylvanis : fortiùs desudandum illi est, si prævalere, si victoriâ frui, si & sua salva habere velit. Movenda itaq; impigrè signa, & inducendi ubiq; vincentium animi adversùs impium hostem, qui præ foribus & in limine adest, qui festinat, & ad nos opprimendos totis viribus accelerat : neq; ulterius toleranda est in Europa hæc pestis, hæc dira contagio, cui nisi celeriùs occurramus, totam inficiet profectò atque contaminabit.

Et hujus sacræ dudúmq; optatæ expeditionis sit tantùm initium, non pugnabitis vos soli Tevtones, Itali & Poloni; sed

ſed exemplo veſtro ducti, multi ex alijs Regnis & Provincijs concurrent ; nec Sueci deerunt, neq; Dani fortiſſimæ gentes. Tranſylvani, Valachi, Moldavi, Raſciani, Bulgari, Boſnenſes, Epirotæ & Illyrici ſumptâ occaſione conſurgent. Moſchi quoq; initâ vobiſcum Poloni pace, dabunt manus : neq; deerit ſibi Aſia ad excutiendum Tyranni jugum. Hiberi, qui & Georgiani vocantur, Armeniq; Chriſtum colunt, nec cunctabuntur arma ſumere, ſi vos viderint audentes. Deniq; & Perſæ, quamvìs pacem cum Turcis habeant, erunt occaſioni ſuæ intenti, ſi quo modo clades ſibi non ita pridem illatas ulciſci, & Babyloniam urbem famoſiſſimam recuperare poſſent. Coacti inierunt pacem : at, quod homines inviti ac neceſſariò faciunt, durabile non eſt. Neq; magnus Mogor eſt tantus Turcarum amicus, ut creſcenti eorum potentiæ non invideat. Vos tantùm conſurgite, bellúmq; præſens capeſſite, motu veſtro excietur ad arma Oriens totus.

Fatendum quoq; eſt indubitanter illud, atq; pro certo habendum, Ottomannicum Imperium, quod vi, inſidijs & peſſimis artibus exortum atque auctum eſt,

&di-

&divinis humanisq́; obrutum ſceleribus, citò caſurum eſſe, periturúmq;. Malè enim parta, malè dilabuntur, & imperia nemo diu violenta tenet.

Porro etſi Mahometes ipſemet cum tota exercituum ſuorum mole, & cum univerſis Tartarorum hordis expeditionem adverſùs nos ſuſciperet, non tamen deſperandum nobis, cùm fortitudo noſtra ſit Dominus, qui nequaquam deerit cauſæ ſuæ. An non ſcriptum eſt: *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros?* Tam facilè eſt Deo noſtro in paucis vincere, quàm in multis. Madianitarum pleniſſima & munitiſſima caſtra cum trecentis viris diſſipavit Gedeon. Ammonitarum numeroſiſſimum exercitũ cum paucis militibus, ſuperavit Jephte. Superbiſsimos Philiſtæos, ſolus humiliavit Samſon. Nec in manu fœminæ, quando Deus voluit, victoria defuit. Potentes in armis Cananæos exterminavit Debora: Siſaram interfecit Jahel: & Holofernem obtruncavit Judith. Multa ſunt hujuſmodi in veteri Lege: ſed nec nova carent magnificis exemplis. Conſtantino magno pugnam timenti, ſignum Crucis in

cœlo monſtratum eſt, & vox divinitùs audita, quæ diceret: *In hoc Conſtantine vinces.* De Theodoſio pijſsimo Imperatore extat illud: *O nimium dilecte Deo, cui militat æther, Et conjurati veniunt ad claſſica venti.* In Britannia, quæ nunc Anglia nuncupatur, ut author eſt Beda, barbarorum ingentes copias pauci admodum Chriſtiani, & inermes, altâ voce canentes, *Halleluja,* deleverunt. Et ante quadringentos viginti duos annos, cùm Tartarorum ducenta millia in Sileſiam irruiſſent, ac devicto occiſóq; Henrico II. Sileſiæ Principe, Moraviam plenis agminibus locuſtarum inſtar involâſſent, Olomuciúmq; acri coronâ cinxiſſent, Jaroslaus à Sternberg, eximiæ virtutis, & antiquæ in Bohemia Nobilitatis Heros, Urbis Præfectus à VVenceslao Ottacaro Bohemorum Rege deſtinatus, factâ in barbaros nocte quâdam eruptione, tantùm cum octo millibus Bohemorum & Moravorum, omnes illas copias, totámq; tantæ multitudinis molem diſjecit, fudit, fugavitq;, Petâ Duce eorum cœſo, cui ipſemet dextram in ictum frameæ libratam uno impetu amputavit, ſicq; brachio mutilum, & mox à vulnere mor-

mortuum ad Tartara misit. In Hungaria quoq; Patrum nostrorũ memoria, quàm sæpè exigua Christianorum manus numerosissimos prostravit hostium exercitus. Non est abbreviata manus Domini : & quamvis elongata sit à nobis misericordia sua propter peccata nostra, propitius est tamen Dominus Deus noster, & multus ad ignoscendum ; si redierimus ad eum, & ipse redibit ad nos. Facilè per obedientiam placabimus, quem per contumaciam irritavimus : qui ut primùm nos viderit humiliato corde, mox odium in nos conceptum vertet in hostes, & nobis victoriam dabit.

Bono ergò estote animo Christiani omnes, & confortati in Domino, accingamini & sumite arma, audacésq; contra impios hostes ite. Cùm enim vobis solidæ vires sint, cùm & Deum in causa sua propitiũ sperare par sit, non est cur tam nobile bellum pro Deo, pro Religione, pro Patria gerendum detrectare, aut de victoria dubitare debeatis.

Agite igitur, pristinam excitate virtutem, generosos recolligite animos, omnium rerum respectum, præterquàm victoriæ, vobis abscindentes. Denique (ut


(ut cuncta uno verbo abſolvam) morte ſolâ vinci deſtinate. Si viceritis, hoſtémque è finibus ſuis ejeceritis, omnia imposterum facilia futura vobis credite: fortiter victis & occumbentibus, idem erit malorum & miſeriarum finis.

Te autem DEUS Opt: Maxime, Conditor & Stator Imperij Romani, ſupplex veneror, precórq;, ut ſis propitius. Miſerere plebis tuæ, & nè des hæreditatem tuam in perditionem, quam propè inſtare videmus. Surrexerunt enim iniqui & impij adversùs nos: venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam.

Et nos quamvis ad tuendum honorem nominis tui aſpiremus, nihil tamen poſſumus, niſi ades, & præſidium affers: nihil ſine te valet humana fragilitas: tua eſt poteſtas, tuum imperium, tua omnis virtus. Idem eſt tibi velle, quod poſſe. Adjuva nos ergo in te uno ſperantes, & te ſolum Deum purâ mente colentes: fac nobiſcum ſignum in bonum, & mitte nobis auxilium de loco ſancto tuo. Scimus enim, quia non dees tù Domine Deus, opem tuam ſuppliciter implorantibus:

tibus : ſed nos ipſi deſumus nobis. Frigent pectora noſtra, ingere calorem, ingere flammas, ure corda & renes noſtros, ut tuo igne ſuccenſi, quæ tibi ſunt placita faciamus, ac fædam & peccatricem Turcarum gentem (ſi tua voluntas eſt) de noſtris finibus eijciamus. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum. Da felicem curſum cœptis noſtris : da robur, fer auxilium. Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt ab impijs, introeat in conſpectu tuo. Audi gemitus compeditorum, & redde inimicis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum improperium, quod exprobraverunt tibi. Reſpice ſuper populum tuum benignis oculis. Da victoriam de tuis hoſtibus, ut tandem ijs repreſſis, dignas tibi cantemus laudes, tibiq; perpetuò ſerviamus, & omnis terra te adoret, & nomini tuo pſallat in ſecula ſeculorum,

Amen.



M. Thomas Joannes Pessina de Czechorod,

Lectori Salutem & Pacem.



Ccasione hâc, quâ hortatu amicorum, Vcalegontem nobis proximum Hungariam flammâ Belli Turcici ardentem, secundò typis produco, insinuare placuit, me nuperâ Moraviæ à Tartaris & Turcis illatâ clade excitatum, ad aliud opus conscribendum, sub Titulo : Mars cruentus Moraviæ : *quo continebitur descripta, non tantùm recens illa funestissima tripliciq; incursione barbarorum iterata clades, sed & aliæ, quas unquam Moravia à Marte hostili inflictas tulit, tum sub Morava gente, mille ducentorum annorum*

ſpatio, tum antea, ſub Marcomanis, & Oſis primis eius Terræ incolis.

Quia verò opus iſtud requirit juſtum Volumen, & primò in recenſendis cladibus ſub Svatobogio Regum Moraviæ ultimo, progredi incipio, prævideo me in proſecutione ejus totâ hâc æſtate habiturum ad agendum ſatis. Interea, amice Lector, Synopſim rei, ſeu Methodum futuri operis brevibus hic ſuggero, teq́; in Statu Gratiæ manere perpetuum cupio. Vale. Litomiſslij 10. Maij. Anno 1664.



MARS CRUENTUS MORAVIÆ,

Sive

SERIES PLAGARUM

tam veterum qvàm recentium Moraviæ

ab

hostili Marte inflictarum.



LIBER I.

MOravia, antiquis Marcomania dicta, Regnum aliquando fuit, cùm terrarum amplitudine, tum populorum multitudine, opibúsq; florentissimum: cuius Reges prisci dignitatem, & à Majoribus acceptam libertatem, longo sanè tempore summa cum laude tenuerunt. Tandem, cùm post cladem Svatobogij Regum ultimi Regnum esse desijsset, & primo cuiq; occupanti in prædam concessa, partim ab Hungaris, partim à Germanis sub Carolo Magno in Pannoniam superiorem inductis, partim à Bohemis & Polonis discerpta fuisset, portio illa, quam Bohemiæ Principes in sua jura coëgerunt, in præfecturam seu Marchionatum redacta est; & ex eo tempore non alios, quàm Bohemiæ Principes Dominos agnoscit.

Ejus itaq; clades, ærumnas & calamitates, qvas & olim, & nostrâ memoriâ à varijs hostibus crudelem in modum per-

pertulit, referentibus nobis, haud alienum ab instituto videtur, quando primùm habitari cæpta sit, & à quibus populis: item, de posterioris temporis ejus incolis, déq; ijs, qui hactenus eam incolunt: de situ & qualitatibus ejus, de Districtibus, Vrbibus, Oppidis, Castellis, & alijs locis potioribus, paucis priùs explicare. Sic enim magìs plana apertáque erunt omnia, quæ deinceps in enumerandis ejus plagis prodituri sumus.

CAPUT I.

Moravia quando & à quibus primò habitari cæpta.

CAPUT II.

De Marcomanis Moraviæ incolis.

CAPUT III.

De Slavis Moraviæ incolis.

CAPUT IV.


De Statu & Regimine Politico Moraviæ, postquàm desiisset esse Regnum.

CAPUT V.

De Situ & Qvalitatibus Moraviæ.

CAPUT VI.

De Moraviæ Districtibus, Vrbibus, Oppidis & locis potioribus.



LIBER II.

Syllabus plagarum veterum ac recentium à Marte hostili Moraviæ inflictarum.

SEriem cladium calamitatúmq; quas à varijs hostibus Moravia pertulit, secundùm ordinem descripturus, operæ pretium judico, ut paulò altiùs

mox

mox à capite rem investigem, quò totum clarius inse sit, & integritate magìs adæquatum, & intellectu maximè perspicuum.

Primò igitur vetustissima quæq; discutienda aggrediemur: deinde media, quæ sequuturus aperiet textus, pro virium captu limatiùs examinabimus: tandémque ad calcem rei, seu ad ea quæ Avorum Patrúmq; nostrorum, & recenter nostrâ quoque memoriâ acta sunt, descendemus.

CAPUT I.

Deductio cladium veterum, quas sustinuêre primi Moraviæ incolæ, Osi Pannones.

CAPUT II.

Continuatio cladium à Marte hostili Moraviæ inflictarum sub Marcomanis.

CAPUT III.

Plagarum à Marte hostili Mo-

raviæ inflictarum ſubſecutio, translato ad Sarmatas, ſeu Slavos Regno.

CAPUT IV.


Lerna plagarum à Marte hoſtili Moraviæ inflictarum, cùm poſt cladem Svatobogi Regum ultimi in Provinciam Regni Bohemiæ redacta eſſet, ad uſq; Venceſlaum ejus nominis III. Bohemiæ Regem, & ex Przæmyſlo-Libuſſæa ſtirpe ultimum.

CAPUT V.

Plagarum Moraviæ à Marte hoſtili inflictarum repullulatio, à tempore Rudolphi I. Bohemiæ Regis uſque ad Ferdinandum I.

CAPUT VI.

Protelum plagarum à Marte hostili Moraviæ inflictarum, à Ferdinando I. ad usq; tempus præsens.







LITHOMISSLII,



Excudebat Joannes Arnolt,
Anno Domini : 1664.









